DECACHORDVM SCOTICVM,

SIVE METHODVS PVRITATIS SACRATISSIMAE MARIAE DEI GENITRICIS PROBATIVA,

QVO

TANQVAM MODVLATIONE DECEM CHORDARVM,
Per dulcisonos tractus, Piorum auribus resonat,

IMMACVLATA CONCEPTIO

BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Et per Scoti Vias ad plausibilem hanc Veritatem festiuè percurritur.

OPVS CONCIONATORIBVS,

ET DEVOTIS NON INIVCVNDVM.

AVCTORE FR. BONAVENTVRA THEVLO VELITERNO
Ord. Min. S. Francisci Conuent. Archiepiscopo Myrensi, olim Suffraganeo, & Vicario Apostolico in Patriarchatu Constantinopolitano.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. CAESARI RASPONO

S. R. E. Præsbytero Cardinali Amplissimo.

VELITRIS, Ex Typographia Petri Guilelmi Casassij, M.DC.LXXIII.

Superiorum permissu.

Imprimatur

Si videbitur R. D. Canonico de Paulis Deputato.

Fr. Ant. Epiſ. Vic. Gen.

Imprimatur

Leonardus de Paulis Can. Pœnitentiarius Reuerendiſs. Magiſtri S. Pal. Apoſtolici Vicarius, &c.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

TVIS mancipatur liber hic pedibus patrocinij cupidus, EMINENTISSIME PRINCEPS, Auctore adhuc ſuperſtite, ac plurimis tuæ beneficētiæ obruto ſtudijs in aliquod gratæ, deuinctæq; voluntatis argumentum lucem ex vmbra Comitatis tuæ dudum adepturus fuiſſet; niſi inuida mors Seraphicæ ſoboli Heroem, Eccleſiæ Myrenſem Archiepiſcopum de Chriſtiana Republica optimè meritum, (vtpote qui ad inſerendum CHRISTI Euangelium ſilueſtria Turcarum arua Villicus vtilis diutinis ſudoribus excoluerat) politiori litteratura præcellentibus, poſt tot nobiliſſima luci tradita recentia ingenij ſui molimina, ac tibi demùm eripuit maximè officioſum: Auitæ támen voluntatis hæredes ſimul, ac cupidi gloriæ, (ſi quam ſat celebri illius nomini pariet labor hic eius, ideo poſtremus, quia poſthumus) tuæ hoc committimus Decachordum tutelę; gratum tibi exiſtimantes futurum, dum Beatiſſimam conci-

nit VIRGINEM Charitum genitricem; & licet extremum Auctor diem obierit, diuturnum tamen ipsius tibi profitetur obsequium : dumque imposita VIRGINIS opere suis operibus coronide æuiternam Gloriæ palmam arbitramur consequutum in Cœlis, abs re non erit tua pariter coronandum tutela ; tuo namque stemmate præuio Vniuersus Terrarum Orbis ex vngue Leonem poterit dimetiri ; atque ad huius libri nidulum Mariana Cerua confugiens, contra ipsam latrare si quis audebit, respondere non verebitur : Noli me tangere quia Cæsaris sum. Vndique igitur tibi debitum Decachordum, quo soles, suscipe hilari vultu, nostrumque veteribus Patrui nexibus additum veræ seruitutis exordium libentèr amplectere. Vale. Datum Velitris Nonis Octobris 1673. Eminentiæ tuæ Reuerendissimæ.

Humillimi, ac perpetuis nexibus deuinctissimi.
Frater Io: Baptista, & Archimidorus Lauri.

DEPRECATIO

AD IMMACVLATAM MATREM VIRGINEM

AD tuum ſingulare Præſidium. Ter maxima Virgo, Auguſtiſſima Mater, humillimè prouolutus, puluis, & cinis confugio. Ad tuum Pietatis Maternæ Sinum viliſſimus ipſe peccator accurro, Ceruus multorum Iaculis peccatorum ſauciatus ad te Mundi Medelam aduenio, & ardore culparum penè redactus in nihilum, ad inexahuſtum tuæ miſericordiæ Fontem accedo, ſed pauore repletus, pudore ſuffuſus. Si enim te pijſſimi Saluatoris contemplor Genitricem, te ſimul tremebundus Dei omnipotentis Iuſtiſſimi Iudicis Matrem revereor. Si tuæ Clementiæ Sanctiſſima Viſcera me ad ſpem veniæ venire compellunt; à te grauiora facinora, quibus Animam à Deo creatam deturpaui, me ad timorem expellunt. Si tuæ ſuauitas faciei, Patrona amantiſſima me, pietatem ob maximam aduocat ad pœnitentiam, Ilati Filij Vultus, indignatione reſperſus, me peccatorem ob nimia ſcelera infœlicem reijcit ad pœnam. Si Amoris dulcedo tui, me ſeruum eſto nequam, Regina Clementiſſima trahit ad gaudium; Mearum grauis iniquitatum horror animum affligit, & vinculis criminum conſtringit. Hoc tamen mœrore depreſſus, omnium delictorum, quorum non eſt numerus, quibus cuiuſcunq; generis tuum dilectiſſimum Filium, toto temporis Vitæ meæ ſpatio, pergrauiter offendi, per lacrymarum pluuiam, perq; cordis

ſuſpiria deletionem efflagito, quam tu, benigniſſima Deipara, impetrare polliceris, cum peccatorum ritè Aduocata vocaris. Eia Diuiniſſima Vniuerſi Orbis Imperatrix, profundiſſimè pronus in terra te humiſſimè adoro, te inſtantiſſimè deprecor, vt lepra mundatus lethali, pura mente, pura manu, puro calamo de tua Innocentiſſima, & Immaculatiſſima Puritate, quam in tuæ Sanctiſſimè Conceptionis inſtanti, in Senili Matris tuæ vtero venerando, per Iuſtitiam Originalem habuiſti, ſcribere, & loqui valeam. De Summi Regis, Deiq; parente fari non licet homunculo. De Cœlorum Regina, Dominaq; Angelorum Encomia proferre, Angelicæ conuenit poteſtati, non humanæ, non viliſſimę creaturæ, omni deſtitutæ doctrina, omni prorſus experti eloquentia, immo omni repletæ inſcitia. Attamen tuo gratiarum allectus Theſauro, à dulciſſimo Filio tuo, qui purificat corda hominum, qui paruulorum linguas facit eſſe diſertas, quamuis ipſe ſenectutis pondere preſſus exiſtam, ad eius gloriam, tuiq; honorem, cœleſte auxilium expecto, quod audeo poſtulare. Infinita Humanitas Saluatoris, quem de tuis Sacratiſſimis Viſceribus genuiſti, dabit viriliter poſſe, qui dedit humiliter velle, & completè concedet operari, qui permiſit fideliter cogitari. Dabit, ſpero, virtutem, qui mihi indigniſſimo contulit dignitatem. Eius quapropter fauore munitus; per Vias, vel Chordas, tuæ Immaculatiſſimæ Conceptionis probatiuas, incedere non pertimeſco. Ne deſpicias igitur, Innocentiſſima, Sanctiſſima, Puriſſima Virgo Mater, me in tempore ſenectutis, & cum deficiat virtus mea, ne derelinquas me: Sed mentem illuminare, voluntatem inflammare, ingenium perficere, vires accreſcere, imbecillitatem fouere, Vitamq; ſeruare, ne dedigneris, quæſo; Vt Chriſtano Orbi, Vias per Decem, ac ſi per Chordas incedens canere cum iubilo valeã, ſpirituali repletus gaudio. IMMACVLATA CONCEPTIO SANCTAE MARIAE VIRGINIS.

AD

AD DEVOTOS LECTORES.

INspicite, animaduertite (Lectores carissimi) quod omnium Creator Deus suæ Innocentissimæ Matris Puritatem tot per Veteris, nouique Testamenti Sanctos, & Patres Christianis mentibus manifestari permiserit. Non enim finit filialis Amor immensus suæ dilectissimæ Genitricis silentio tegi Innocentiam. Per ora Prophetarum, & Sanctorum, qui enarrant tanquam Cœli gloriam Dei, hoc mirandum voluit, vel clariùs probari, prædicari Sacramentum. Quapropter tàm Patrum, quàm Doctorum, qui, vel verborum velamine, vel expresè, hanc docuerunt veritatem, verba vobis pensanda relinquo, quæ ab originalibus accuratè suscepi. Et quamuis veritas hæc à viris innumeris, doctissimisq; patefacta inueniatur, elegantiq; stilo, ita Virginis Mariæ Decus euulgatum agnoscatur, vt Decachordum hoc ostendere piorum oculis, vel auribus videatur pulsare, superfluum, cum ex illis aptiora desumpserim. Nihilominus (ob Scoti Doctrinam, è qua, estò Rethorum aliorum coloribus, deductum est) Immaculatissimæ Matris Clientis humillimi, haud asperum experientur, vel iniucundum. Decachordum, quasi Decem Chordarum Psalterium, ausus sum appellare, quamuis à Scoto nominentur Viæ. Chorde enim ad sonitum Viæ sunt, per quas, quasi digitorum ambulatu, auribus, Pulsator armonicam extrahit suauitatem. Sic Vniuersi Ecclesiæ Romanæ Fideles pijq; homines hic Domino Nostro Iesu Christo, eiusq; Innocentissimæ Matri psallere, canere, valebun, ac demum in Cœlis Laudes, Hymnosq; persoluere lætabuntur. Denario numero hanc Virgineæ puritatis methodum probatiuam placuit cohonestari, quoniam hoc Vniuersitas circumscribitur. Hoc voluit, suæ Verba Legis, non sine misterio, complecti. Ad Altare Domino struendum, Decem Gedeon elegit Viros, *Iudic. cap. 6.* Pro patrati sceleris mulcta, Decem ex centum selecti sunt milites, *Iudic. cap. 20.* Decem misit Isai per manus Dauid Panes ad Filios in Prælio 1. *Reg. cap. 17.* De Bisso, Hyacintho, & Purpura, coccoq; bis tinto, Cortinas Decem pro Tabernaculo præcepit Omnipotens *Exech. cap. 26.* In Atrio, Occidentem versus, Decem decreuit

æneas

æneas Columnas, *ibid cap.* 27. Decem Candelabra aurea posuit in Templo Rex Salomon. Decem Mensas pariter, Bases æneas Decem, Aeneos Lateres Decem, ac Decem Choncas, 2. *Paralipom. cap.* 4. Hæc vtcumque sumite Decem (Lectores pijssimi) quæ ad veritatem Immaculatissimæ Conceptionis Mariæ Dei Matris declarandam, comprobandam, defendendam diriguntur. Hæc igitur quæso, numero pauca non dedignemini intueri. Decem Mnas, aliorum, non meis, extracta thesauris, libenter excipite quibus, ingenij acumine vestri, pro eadem Sacratissima Domina valebitis negotiari. Paucos, vt potui hic adnotaui, cuiuscumq; gradus, & dignitatis Viros doctissimos, Methodi præscriptioni subiectus, sed expressiùs de Conceptione Immaculata loquentes, fideliter retuli. Et scitote ex Riccardo de Sancto Victore, lib. de Diff. Sacrif. *Quod indubitanter, quod optimum est, tantæ Virgini attribuimus.* Si alios peritos, ac eruditos cupitis videre Auctores. Volumina Doctissimorum Virorum voluite, Petri Canisij, Ferdinandi Salazar, Ioannis Antonij Velasquez, Francisci Suarez, Roberti Belarminij, Ioannis Serrani, Ioannis Baptistæ Lezzanæ, Ioannis à Carthagena, Ioannis Eusebij Nierembergij, Petri de Alua, Aegidij de Præsentatione, Hyppolithi Marracij, & aliorum, prout in sequenti Cathalogo, virtute præstantium. Pro me indignissimo peccatore Deiparam Innocentissimam orate. Et Bonauenturam, seù Eustachium Moralem, si Sacratissima Virgo concesserit. Expectate.

EXCVSATIO.

Neque enim omnia, quæ ab omnibus scribuntur, in omnium manus veniant, & fieri potest, vt nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos pleniores non inueniant Libros, & in istos saltem incidant; ideoque vtile est, plures à pluribus fieri, diuerso stilo, non Fide. D. Augustinus de Trinit. lib. 1. *cap.* 3.

Appro-

Approbatio Adm. R. P. Magistri Ioannis Francisci Gadoni de Castro Bononiensi Ord. Min. S. Franc. Conu.

R*Euerendiss. P. Magistro Andrea de Hispello Ord. Min. S. Francisci Conuentualium Ministro Gen. annuente, librum, cui titulus,* Decachordum Scoticum, *ab Illustriss. & Reuerendiss D. F. Bonauentura Thеulo Veliterno Archiepiscopo Myrensi elaboratum, vidi, legi, & prelegi, neque non solum aliquid contra Fidem, aut Bonis Mores in eo reperi verũ ad angendam Fidelium pietatem maximè consentaneũ inueni, cum de Immaculata B. VIRGINIS CONCEPTIONE Auctoris ingenium, & deuotio puram, & immaculatam Doctrinã in medium afferat, quapropter huiusmodi opus publica luce dignum existimat, & illos, ad quos attinet, pro executione, enixè deprecatur. Dat. Velitris die 22. Octobris 1669.*

Fr. Io. Franc. Gadoni de Castro Bononiensi Min. Conu. ac S. T. D.

Approbatio Adm. R. P. Mag. Angeli Monsignani Foroliuiensis ex Prouincial. Prou. Etruriæ, atq; Piceni Ord. Carmelit. Prior S. Antonini Ciuitatis Velitrarum.

D*Ecachordum Decem Chordarum verè, suauiterq; Fidelium cordibus resonans; IMMACVLATA CONCEPTIO SANCTAE MARIAE VIRGINIS, ab Illustriss. & Reuerendiss. D. F. Bonauentura Theulo Veliterno Archiepiscopo Myrensi elaboratum tetigi, euolui; in eoq; magna cum mea voluptate deprehendi, veritatem Immaculata Conceptionis B. M. V. benè fundatam esse velute supra firmam petram. Opus sanè aureum, in quo Auctoris pietas, & ingeniũ dilucidè nitescunt: Vndè maximè profuturum censeo communi pietati, si publicæ luci, tanquàm prælo, cedroq; dignum, exponatur; nemo enim aliquid, quod non sit ad lydium lapidem orthodoxa Fidei, ac probitatis morum, in eo deprehendet, imo vniuersa in eo contenta, & explicata esse velut aurum, & argentam igne examinatum probatum terræ, purgatum septuplum, inueniet. Dat. Velitris ex nostro S. Antonini Cœnobio die 26. Nou. 1669.*

F. Angelus Monsignanus Carmelita S. T. D. Prior S. Antonini.

INDEX
CAPITVLORVM OPERIS.

Lapides selecti Decem. p. 3.
Moduli distincti Decem. 4.
PRIMA CHORDA, VEL VIA. Figuralis Declaratio. 6.
II. CHORDA, VEL VIA. Pronũciatio Prophetica. 39.
Decem Reuelationes, ex Auctorib. diuersis. 59.
III. CHORDA, VEL VIA. Scriptorum Concordia. 68.
Decem Auctores Græci. 69.
Decem Scriptores Latini antiquiores. ibid.
Decem Scriptores Latini posteriores. ibid.
Decem Concionatores antiquiores. ibid.
Decem Concionatores moderniores. 80.
Decem Cancionatores Italico Sermone. ibid.
Theologi Antiquior. Decẽ. 85.
Decẽ Theol. Posteriores. ibid.
Decẽ Theol. Recentiores ibid.
IV. CHORDA, VEL VIA. Auctoritas scribentium. 90.
Decem ex primitiua Ecclesia Auctores. 91.
Decẽ Eminent. Cardinales 83.
Decẽ Patriarchæ Orthod. ibid.
Archiepiscopi Decem. 98.
Episcopi Latini Decem. ibid.
Episcopi Græci Decem. ibid.
V. CHMRDA, VEL VIA. Cõmunitas Recipiẽtiũ. ibid.
Decem Vniuersitates extra Italiam publicæ. 109.
VI. CHORDA, VEL VIA. Rationabil. Contẽtorũ. 119.
Probatiuę Consequentię, Decem. ibid.
Decẽ Vniuersit. in Italia. ibid.
Decem Religiones. ibid.
Decem Congregationes. 111.
Decem Regna. ibid.
Decem Principatus. ibid.
Decem Insulæ. 115.
Decem Dominia. ibid.
Decẽ Rationes Probatiuę. 123.
Decem Leges Canonicæ. 130.
Leges Ciuiles Decem. ibid.
VII. CHORDA, VEL VIA. Irrationabilitas aliqu. 136.
Consequentię Decẽ falsę. 137.
Decem Euasiones. 141.
Decẽ Appellationes M.V. 150.
Decem Glossę ad decẽ Auctoritates S.Scrip.Vet.Test. ibi.
Decem Glossæ ad Auctoritates S.Scrip.Nou.Testam. ibid.
Decem ad Patrum Auctoritates Glossæ. ibid.
VIII. CHORDA, VEL VIA. Ecclesiæ Stabilitas. ibid.
Decem Pontifices Summi, Maximiq; 166.
Decem Auctoritates in Concilijs. ibid.
IX. CHORDA, VEL VIA. Miraculorum Claritas 179.
X. CHORDA, VEL VIA. Testimonium eorum, qui foris sunt.
X. Canentes, Psallentes Vates.

DECA-

DECACHORDVM SCOTICVM

Lex Domini immaculata. Mater Dei immaculata.

IOANNES Duns Scotus, qui, ob sui acumen ingenij, non modo Subtilis, verùm etiam & Aquilinus Doctor est appellatus, Scotus. quod *in 3. Sent. Dist. 13. q. 2. H.* de Christo Domino professus est, inquiens, *Commendando enim Christum, malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alteram incidere.* Hoc de eius purissimæ Matris Mariæ Innocentia, palam, vniuerso Orbi demonstrauit. Hanc piam opinionem probauit, & robustissimè substinuit. Nam, vt in eodem *3. dist. 3. q. 2.* Idem Subtilis ex Diuo Augustino *lib. 3. de* August. *lib. Arbit.* inquit, *Quicquid tibi, vera ratione, meliùs occurrit, Scias hoc Deum magis fecisse, quàm non fecisse.* Hìnc in honorem tantæ Virginis, ac Matris, eiusdem Doctoris vestigia, pro mea pusillitate, sequens, Virgineæ puritatem Conceptionis ostendere sum humillimè arbitratus. Nec me in tanto negotio terret, quod ait prudentissimè idem Augustinus, *Serm. de Assumpt. B. Mar. Virginis,* Idem. *Tantò, quæ magna existunt, cautiùs tractanda sunt, quantò specialiùs auctoritatum testimonijs non possunt ad liquidum roborari.* Quoniam, vt idem sequitur, *Promeruit enim*

 hoc

hoc singularis sanctitas eius; & singularis gratia, qua susceptione singularitèr existimanda est digna, &c. Si ergò voluit integrum Mariæ virginitatis seruare pudorem, cur non velit incorruptum à putredinis seruare fętore? Magni fętoris est originalis culpa. Subtilis itàque Doctoris ingenium, Sacræ Theologiæ veritatem vtroque Testamento complexam sufficientèr traditam esse, ostendens, octo, vel decem Vias, quas etiam Chordas vocabimus, ad hoc

Scotus. aperit probandum, In *Prolog. sent. q.* 2. per totam, quæ sunt, Pronunciatio Prophetica, Scripturarum Concordia, Auctoritas Scribentium, Diligentia Recipientium, Rationabilitas Contentorum, Irrationabilitas Errorum, Ecclesiæ Stabilitas, Miraculorum Claritas, Testimonium eorum, Qui foris sunt, & Diuina Bonitas, & Clementia, Qua Irrefragabiliter ordinat hominem ad salutem. Tanti Doctoris, ipse, qua præditus sum, imbecillitate, Ordinem sequens, Veritatem de Conceptione Immaculata Sanctissimæ Matris Dei Mariæ per totidem Chordas, vel Vias, Sufficientèr traditam esse, quas in hoc Opusculo tangam, & aperiam, demonstrabo. Vt quemadmodum Christianorum, Catholicorumq; nullus de Theologica veritate audet dubitare, sic piorum, fideliumq; nemo de Matris Christi Iesu Conceptionis Immaculatę veritate scriptis, vel dictis ad Summ. Pontific. præscriptum refragari præsumat. Nostræ Viæ, vel Chordę hæ sunt, Figuralis Declaratio, Pronunciatio Prophetica, Scriptorum Concordia, Auctoritas Scribentium, Communitas Recipientium, Rationabilitas Contentorum, Irrationabilitas Aliquorum, Ecclesiæ Stabilitas, Miraculorum Claritas, & Testimonium eorum, qui foris sunt; Quæ omnes ab vna Vltima Scoti Via, scilicèt Diuina Clementia, & Bonitate sumunt Exordium, Valorem, & Efficaciam: Hac enim Deus Clementissimus Matrem suam Dilectissimam irrefragabiliter ordinauit ad Gratiam, & ad Gloriam, illam ab omni peccati macula præseruando. Has pulsa-

bimus Chordas, per has incedemus Vias ad Veritatis agnitionem. Pro quibus bis Decem Lapides prius adducemus, vel ſpatijs, ac modulis totidem, tendemus, tangemus Chordas, quibus dulciori Armonia reſonari auribus fidelium poterit, *IMMACVLATA CONCEPTIO SANCTAE MARIAE VIRGINIS*.

Selecti Lapides Decem.

PRimus, Peccatum Originale eſſe carentiam Iuſtitiæ Originalis debitæ, & amiſſæ in primo Parente. Hinc Creatura rationalis ſtatim, ac fuerit perſonata, fit filia Adæ, & redditur debitrix huiuſmodi Iuſtitiæ, per cuius carentiam,Peccatum Originale omnes incurrunt.

Secundus, Peccatum quodcumq; ſubiectari in Anima intellectiua, ſed per potentias,ideſt per voluntatem,extra quam, nec peccatum dari poteſt, dum nec elicitiuè, nec imperatiuè eliciat actum, vel ſaltem ſubiectiuè ſe habeat.

Tertius, Animam, Dei Omnipotentis manu creari puram, quæ Puritas non eſt moralis, ſiuè virtuoſa, nec meritoria, ſed naturalis, & idcirco dicitur, in puris naturalibus, ideſt, nullo habito reſpectu ad gratiam, vel ad culpam.

Quartus, Spirituale non inſici per aliquod materiale corruptiuum, loquendo iuxta naturales eius virtutes: Sol enim, quando in fęces, & ſordes radios diffundit, minimè coinquinatur. At loquendo moralitèr, poteſt concedi, quoniam Supremus Auctor valet de omni ſpirituali hoc decretare.

Quintus, Carnem peccatum contrahere non poſſe, nec originale, nec actuale, quia ipſa caret voluntate, quæ,vel elicitiuè, vel imperatiuè, vel ad minus ſubiectiuè, vt dictum eſt, ad peccatum refertur; Alitèr abortiuus fœtus, ante animationem,peccati pœnam luere poſſet,quod non eſt dicendum.

Sextus, Corpus non dici Adæ filium, quamuis ex ipso per semen trahat originem, quoniam Pater est causa vniuoca sui effectus in humana generatione, qui debet esse eiusdem rationis cum ipso generante, quod de inanimato fętu dici non potest.

Septimus, Animam Rationalem non dici Adæ filiam; Virtus enim creata finita est, & dependens, nec potest illam attingere per generationem, & ideo immediatè creatur à Deo, quamuis supponatur corpus perfectè organizatum, in quod infunditur à Deo.

Octauus, Personam esse debitricem Iustitiæ Originalis Deo creditori, propter Adæ peccatum, quoniam personæ cuicunq; erat promissa Iustitia, si Adam stetisset, sicut omnis persona tenetur ad illam habendam, quamuis non habeat. Hinc animato fœtu, quilibet fit filius Adæ cum tali debito Deo creditori.

Nonus, Ex delicto Patris posse filium puniri, præcipuè quando pro parentis virtute filius est remunerandus, & Pater pro filio tenetur, quod dicerem negatiuè, non positiuè, quia positiuè punitio est propter personale peccatum, ob idq; peccatum hoc vocatur carentia Iustitiæ debitæ.

Decimus, & Vltimus. Dum loquimur de Beata Virgine, quod non contraxerit peccatum Originale, nos abstrahimus à debito illud contrahendi, siue proximum, siue remotum accipiatur, quia hæc discussio speculatiuis Eruditioribus relinquitur.

Distincti Moduli Decem.

PRimus, Quod declaratio S. Rom. Ecclesiæ est maioris firmitatis, ac roboris, quàm Patrum Sanctorum Auctoritas, quia ab Ecclesia Patrum Sanctorum, & Doctorum dicta approbari debent, vt sint autentica, &c.

Secundus. Quod veritas per Ecclesiam promulgata, quam-

quamuis ſemper fuerit, non ſemper tamen fuit publicata, & declarata, quoniam ſuauiter Spiritus Sanctus ad generis humani indigentiam, & S. D. Maieſtatis Gloriam, illam reuelat.

Tertius, Quod de credibilibus reuelatis contingentibus ad extra, non poſſunt formari rationes neceſſariæ. Concluſio dependet à principijs, & ſequitur debiliorem partem, ſicut eſt ineuidentia.

Quartus, Quod propoſitiones Vniuerſales cum voce, *Omnis*, in Scriptura Sacra non ſunt ita ſtrictè accipiendę, quod aliqualem exceptionem non admittant.

Quintus, Quod Deus Omnipotens non neceſſariò alligatur Sacramentis, & vniuerſali decreto, quin poſſit ſine illis gratiam infundere, & peccatorem alio modo ſaluare.

Sextus, Quod Sancti Patres, quamuis Deo gratiſſimi, non ſemper loquuti ſunt in Spiritu, niſi quando Spiritus Diuinus gratiam illis infuderit, & ideò inter ipſos quandoq; reperitur opinionum diuerſitas.

Septimus, Quod Sancti Patres, & Doctores, loquendo de Beatæ Virginis Conceptione, non fuerunt ſemper contrariæ aſtricti opinioni, quia ſecundùm temporum varietatem, variè loquuti ſunt, & ſecundùm diuerſitatem reſpectuum, diuerſimodè ſcripſerunt; Et ita, Spiritu Sancto docente (eſto alterius opinionis) ſemper illam ſine peccato, ſaltem implicitè, prædicauerunt, ſicut etiam explicitè quandoq; dixerunt, docuerunt, & ſcripſerunt.

Octauus, Quod Anima rationalis, ordine naturæ, præcedit gratiam, & culpam, quæ eſt indifferens, & poteſt vnam, aut alteram ſuſcipere, quamuis ad gratiam requiratur actio ſuperioris agentis, & creantis gratiam animæ infundendam.

Nonus, Quod mixtio ſeminum maris, & fœminæ, quæ fit per libidinoſum concubitum, antecedit animationem in corpore perfectè organizato, per multos dies, vt dicunt Phiſici, licet ſint diuerſæ opinionis in numero dierum.

Deci-

Decimus, & Vltimus, quod Ecclesia Catholica, Spiritu Sancto edocta non permittit celebrari festum, nisi de Sancto: Hinc solùm de morte, quia autenticè per testes idoneos comprobatur Sancta, fit solemnitas, & vocatur Natalis. Solùm de Christo Domino, de Beata Virgine, & de Beato Ioanne Baptista colitur natiuitas, quia constat fuisse Sanctam. Quod etiam de eiusdem Dei Genitricis Conceptione asserendum est, quæ cum ab Ecclesia celebretur, Sancta existimanda est.

PRIMA CHORDA, VEL VIA.

Decem declarata Figuris. Figuralis Declaratio.

CVm Figura sit Aenigmaticus Processus Scripturarum, sub quo verus rei latet intellectus; quocirca ex antiquorum Historijs futura res arguatur, sciendum est, secundùm plures effectus, & conditiones aliquas, non secundùm omnes, figuratum, & figura, referri debere: Ideo ex nostro Doctore irrefragabili Alexandro Alensi, 4. *p. sum. q.* 10. *memb.* 1. *art.* 1. §. 2. Plures figuræ, non vna dumtaxat, vnicam rem respiciunt. Nec potest ob effectuum, & conditionum pluralitatem, vna tantùm figura, secundum substantiam, rei commetiri. Clarè hoc liquet Dauidis exemplo, qui, secundùm Augustinum, *Serm.* 107. *de temp.* & Anselmum in Matt. *c.* 1. figura fuit Christi Domini nostri; haud potest Dauidi, secũdùm eius effectus, & conditiones omnes commetiri; Non, inquam, secundùm vxorum pluralitatem, quoniam Saluator noster vnius Ecclesiæ vnus est Sponsus; neque secundùm aliquas operationes, quibus innocentissimo Filio Dei minimè quit ipse commensurari. Quod etiam patet de Salomone, qui, secundùm Augustinum, *lib.* 17. *de Ciuit. Dei. c.* 8. & Cyprianum *Epist. ad Cecilium lib.* 2. *Epist.* 3. Eundem Dominum figurabat, quod, secundùm omnia nequaquàm asseren-

Alensi.

August. Anselm.

August. Cyprian.

afferendum est. Dicimus itaq; quod, quamuis Veteris Testamenti figuræ sint multæ, quarum Decem tantùm iuxta ordinem narrabimus, earum quælibet secundùm omnes conditiones, & effectus Immaculatæ Mariæ Virginis Conceptioni commetiri non potest, nec tamen ob id figurarum munus ammittunt, neq; veritatem, quam intendimus, non probabunt; Quoniam sufficit, vt secundùm aliquas conditiones coequentur Virgini Dei Genitrici. Vnamquamq; illarum, vt magis hæc Chorda resonet, Decem Sanctorum Patrum, & Doctorum, siue antiqui, siue moderniores sint, Testimonio fulciemus.

Prima figura, quæ Virginem Deiparam Purissimam, eiusq; in Conceptione innocentiam, sub vmbra, complexam, affirmat, est Terra primò creata, de qua, manibus Omnipotentis Dei fuit Adam primò formatus, *Gen. c.* 2. Gen. Maximè enim hoc Terræ nomen Immaculatæ Virgini congruit, Tertulianus, *de Car. Chris. cap.* 17. Augustinus, *de Genes. cont. Manich. lib.* 2. *c.* 24. Hieronymus, in *Ecclesiast. c.* 10. Ioannes Damascenus, *Orat.* 2. *de Dormit. Beatæ Mariæ*, Epiphanius in *Ancorato*, *c.* 66. Germanus Constantinopolitanus, *Orat. de Natiuit. Virginis*, Andreas Cretensis *Serm. in Salutat. Angelic.* Vigilius Tridentinus Episcop. *lib.* 3. *contra Euthic.* Bernardus *c.* 1. *de Passion.* Bonauentura, *Specul. B. Mariæ Virginis c.* 4. & alij plures, at rationabiliter Virginem Deiparam Terræ nomine appellant. Ipsa enim est, de qua Regius Propheta cecinit, *Psalm.* 84. *Benedixisti Domine Terram tuam.* Terra profectò Domini est, quam ab initio possedit Deus. Nostra etiam Terra est, de qua productus est dulcissimus fructus, quem Benedictum enunciauit Elisabet, *Luc. c.* 1. dicens, *Benedictus fructus ventris tui.* Et ob id cecinit idem Psaltes, *ibidem, Terra nostra dedit fructum suum.* Nostra, inquam, quoniam de specie humana est. Dedit fructum suum, non alterius, non ex semine viri, sed ex purissimis suis sanguinibus, Spiritu Sancto operante, Deum nobis protulit,

Tertull. August. Hieron. Damasc. Epiphan. German. And Cre. Vig. Trid. Bernard. Bonauen. Psalmus. Lucas. Psalmus.

& homi-

Greg. Pa. & hominem . Hoc expressit Gregorius Papa in *lib.* 1.*Reg. c.* 1. inquiens, *Terra quippè fructum suum dedit, quia, quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, sed Spiritus Sancti obumbratione*. De hac terra fructus exiuit,scilicet Christus, qui Veritas est, vt habetur eodem Psalmo, *Veritas*
August. *de terra orta est*, & Augustinus, *Serm.* 55. *de diuers.* ait, *Veritas ergo de Terra orta est, quia Christus, qui dixit Ego sum veritas,&c. de Virgine natus est*. Quod repetit ex Cas-
Bru. Her. siodoro, Bruno Episcopus Herbipolensis in *Psalm.* 84. eisdem verbis, *Veritas de terra orta est, quando de Virgine*
Hieron. *Maria Verbum caro factum est*. Et Hieronymus huius terræ fructum contemplans, inquit, *Psalm.* 66. *Vultis scire, quis sit iste fructus? Virgo de Virgine, Dominus de Ancilla, Deus ex homine, Filius ex Matre, fructus ex Terra*. Et Isi-
Isid. Epis. dorus Episcopus, *Serm. de Natiuit. Domini c.* 11. ait, *Quæ est veritas de Terra, nisi Christus de fœmina natus Dei filius, de carne productus? Terra Maria dedit fructum suum*. Hic
Isaias. est fructus, de quo vaticinatus est Isaias, *cap.* 4. dicens. *Erit fructus Terræ sublimis*. Sanè sublimis, super omnes, quia dulcissimus, suauissimus, saluberrimus; Non sic fructus ligni Paradisi,quem instigante serpente, Primi nostri manducauere parentes; Amarus enim ille fuit, virulentus, & lethalis, & quemadmodum ille humanum infecit genus, mortemq; attulit mundo, sic è conuerso, iste Mariæ Virginis fructus hominem refecit, sanauit, viuifi-
Ric. Vict. cauitq; mundum. Ob id Riccardus Victorinus, *lib.* 2. *de Emmanuel c.* 23. admirans, exclamat, *O quantus fructus, fructus magnificus, fructus gloriosus, fructus desiderabilis, fructus sublimis.* Ista igitur Terra ab omni communi Lege secreta fuit, quoniàm Summi erat Sacerdotis. Ex Genesis historia habetur, *Emit enim Ioseph omnem Terram Aegipti, vsque ad extremos fines eius, præter Terram Sacerdotum,*
Genesis. *quæ à Rege tradita fuerat eis*. Genesis, *c.*47. Hanc Virgineam Terram Pater Aeternus Sacerdoti Summo,& quàm maximo, secundùm ordinem Melchisedech *Psalm.* 109.

dedit,

dedit, quando eam filio in Matrem elegit, & à communi tributo fecit immunem. Hector Pintus sic explicat. *T.2. in Ezechiel. c.43.* inquiens, *Hæc est illa Terra Sacerdotalis, quæ nullo erat obnoxia tributo, &c. Huius Sacerdotis Terra est illa, quæ nullum vnquam penitus habuit peccatum, nec originale, nec actuale.* Hoc ex Carthagena *de Concept. lib. 1. Hom. 19.* Ludouicus Carauaialus *Orat. pro Concept. Parisÿs habita,* dixit in personam Virginis, *An absq; causa Terra Sacerdotalis in Aegipto libera erat à tributo Pharaonis, &c. non ne filius meus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui ex me tamquam ex Terra Sacerdotali natus? Terra, inquam libera non tributaria.* Et Ioannes Osorius, *T. 1. Conc. de Natiuit. Dom.* inquit, *Omnes filÿ Adæ maledictionibus pluribus obnoxÿ cum sint, sola Maria libera à peccato est, sicut Terra Sacerdotalis libera à Tributo fuit.* Et *T.3. Conc. 3. de Concept.* ait, *Ostendenda ergo Mariæ nobilitas, ac ingenuitas est, eamq; liberam dicimus ab omni peccati tributo, tamquam Sacerdotalis Aegipti Terra, quæ nullo tributo obnoxia fuit.* Et Rupertus Abbas, *in Cant. c. 6.* inquit, *O dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati.* Terra igitur fuit immunis Maria, Terra purissima, ex qua immaculatissimus Adam formari debebat, & ideo innocens, & immaculata. Quando Deus omnipotens Terram maledixit, iam fuerat plasmatus Adam, ad cuius culpam deinde maledictio Terræ subsequuta est, dicente Domino, *Maledicta terra in opere tuo, Genesis c. 3.* Adam, qui vestibus originalis iustitiæ, aliarumq; virtutum omnium ornandus erat, si ex Terra non maledicta formandus demonstratur, quantò magis Christus Dominus ex carne, ex Terra, scilicet, Virginis Matris, nulli vnquam maledictioni subiecta, decuit efformari? Hoc Augustinus, ex Aloysio Lippomano, sentit, dum ait, *Sicut primus Adam de limi materia figuratus est, ita secundus Adam quasi de intacta, ac rudi terra, de Virginis carne formatus est.* Et Tertullianus, *lib. de carne Christi, c. 17.* ait, *Virgo erat adhuc Terra, non dum opere*

Hec. Pin.
Carthag.
Caruaial.
Io. Osor.
Rup. Ab.
Genesis.
August.
Tertull.

compressa, nondum sementi subacta, &c. Si primus Adam de Terra traditur, meritò sequens, vel nouissimus Adam proindè de Terra, idest de carne nondum generationi resignata in spiritum viuificantem à Deo est prolatus. Clariùs hoc expressit
Dominic. noster Patriarcha Dominicus, ex Petro Galatino, *lib. 7.*
Galatin. *c. 5.* ex Vincentio Beluacensi, *Specul. Histor. lib. 29.*
Vin. Bel. Io. de M. *c. 106.* & ex Ioanne de Meppis, *Tract. de Concept. Mar. Virg.* dicens, *Sicut primus Adam fuit ex Terra Virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius Terra, idest Mater Virgo, nunquam fuit maledicta, Opusc. de Sacr. Corp. Christ.* Idem persuade-
Mar. Bec. tur per Martinum Becanum *Theolog. Scholast. p. 2. T. 1. c. 9.* dum ait, *Adam fuit factus ex Terra nunquam maledicta, ergo verisimile est Christum quoque natum fuisse ex Matre non maledicta.* Hoc figura continet. Et quamuis post formatum Adam, ac proptèr eius culpam, terra fuerit maledicta, non sequitur maledictio Mariæ. Primò, quia secundus Adam innocentissimus formatus, *peccatum non*
1. Petri. *fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, Ep. 1. Petr. c. 2.* igitur à terra, scilicet à Virgine Maria, de qua formatus est, maledictio prorsus fuit aliena; Secundò, quia maledictio terræ fuit in opere Adæ iam lapsi, non Adæ innocentis,
Genesis. hinc dixit Deus, *maledicta Terra in opere tuo, Gen. c. 3.* & tuorum carnaliter descendentium, non alterius, scilicet Spiritus Sancti, qui tantum in Virgine operatus est.
August. Idem sentire videtur Augustinus, *lib. de Genes. contra Manich. Cum homo*, inquiens, *non esset, qui operaretur in Terra, quia nullus homo operatus est in Virgine.* Igitur neque post culpam Virginea terra potuit maledici; Spiritus Sancti opus semper benedictum agnoscitur. Quaproptèr
And Cre. Andreas Cretensis in *Salutat. Angel.* ait, *Salue Sancta Virginalis telus, ex qua nouus Adam, mirabili fictione, formatus est, qui veterem Adam saluti restitueret,* Beata igitur Virgo peccatum originale non contraxit. Et ideo in hac Terra salutē operatus est Christus, *qui operatus est salutem*

in

in medio terra ex Dauide *Psalm.* 73. sic Bernardus *Serm.* 2. *de Pentec. Et nunc iam*, inquit, *operabatur Christus salutem nostram in medio Terra, in vtero scilicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate mediam Terra appellatur.* Et Petrus Comestor *Serm. de Concept. Virginis Mariæ*, inquit, *Hæc namque est Terra, cui benedixit Dominus, sicut Psalmista ait, Deus enim noster, ante secula, operatus est salutem in medio Terræ.* Oh bone Deus, Terra in Insula Lemnos venena repellit, & morbos, Maria verò hac virtute priuata fuit, vt in sui exordio secum culpæ originalis venenum patiatur? Quis credet? quis dicet? Psalmus. Pe. Com.

Secunda Figura, quæ Virginis Matris innocentiam ostendit, est Eua. In *Genesi c.* 2. habetur post omnium rerum creationem, Deum formasse Adam de limo Terræ, qui Princeps creaturarum omnium effectus, sine adiutorio, solus reperiebatur; Cunctæ enim Creaturæ, & corpore, & forma dissimiles erant homini. Nec tunc Adæ adiutor inueniebatur similis. Hinc, *non est bonum hominem esse solum* (Altissimus dixit) *Faciamus ei Adiutoriū simile sibi*, sicq; *misit Dominus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius* (non figuralem vt sentit Thomas de Vio Caietanus, *Coment. sup. Genesim*, sed realem, vt cęteri inquiunt Patres) *& repleuit carnem pro ea; Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit ad eum, dixitq; Adam, hoc vnum os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Verba Genesis plana sunt. Quod Eua Mariam Virginem figurauerit, asserunt Irenæus, *adu. Hæres. lib.* 5. *c.* 19. Athanasius, *Serm. de Sancta Deipara*, Ambrosius, *de Institut. Virgin. c.* 5. Epiphanius, *lib.* 3. *de hæresib. c.* 78. Anastasius Synaita, *lib.* 4. *Anagogic. contemp.* Hesichius Hierosolimitanus, *Serm.* 3. *de laudib. Virginis*, Chrisippus Hierosolimitanus, *de laudib. Virgin. Mar.* Pelbartus de Temesuuar, *lib.* 6. *Stellar. p.* 1. *art.* 1. Dionysius Carthusianus, *lib.* 2. *de laudib. Virginis*, Belarminus *T.* 3. *lib.* 4. *c.* 15. & alij quamplures. Genesis. Tho. Cai. Irenæus. Athanas. Ambros. Epiphan. Anas. Sy. Hesich. Chrisipp. Pelbart. Dio Car. Belarm.

plures. In Euæ formatione multa sunt aduertenda:
Augu∫t. Quamuis enim Augustinus dicat, Euæ ex opposito Mariam electam fuisse, vt in *Serm.* 18. *de Sanct.* quod etiam ex alijs Patribus clarissimè apparet; quoniam ruinam illa, & mortem intulit humano generi, ista verò exaltationem, & vitam mundo protulit. Nihilominus Eua Mariæ Virginis figura fuit, sicut enim Eua viuentium Mater omnium fuit appellata, sic Deiparens Virgo viuentium omnium Creatoris Mater extitit dilectissima. Et quemadmodum Eua Adæ adiutorium fuit pronunciata, sic Christo Domino Virgo Maria pro nobis adiutorium ostenditur præelecta. Primum in Euæ formatione considerandum est, quod ipsi extitit Adæ similis, *Faciamus*
Genesis. *adiutorium simile sibi*. Genes. vbi supra secundum est, quod Adam post Euæ formationem, dixerit, *Hoc vnum os de ossibus meis, & caro de carne mea, ibidem*, vnius carnis erant ambo, os vnius alterius fuit. In his ergo inter eos similitudo profectò fuit, eademq; reperiebatur. Nunc quæro, quam similitudinem Eua cum Adam habebat? non tantùm, dicam, in corporali, ac spirituali substantia, & visibili forma, sed etiam in spirituali dispositione, inuisibiliq; qualitate. Quoniam quemadmodum fuit conditus Adam in Iustitia originali, sic pariter, & Eua, aliter enim ei similis non fuisset, sed potius dissimilis, si Adam innocentia, Eua verò culpa fuisset conspersa. Sic omnes concedunt Patres, Euam scilicet cum originali iustitia formatam fuisse. Hoc idem Mariæ conuenientissimum fuit,
Belarm. vt similis Christo esset: Quod Belarminus *T.3. l.4. c.15.* affirmare videtur, inquiens, *Euam Mariæ figuram fuisse docet, Epiphanius, & alij, satis autem constat, Euam sine peccato fuisse, cum primùm formata est. Decebat igitur, vt Mater omnium viuentium vita spirituali sine peccato conciperetur, cum Mater omnium viuentium vita animali sine peccato condita est.* Quando caro Adæ, Euæ caro facta est, munda erat, nulloque peccati contagio corrupta, ergo

munda

munda vtriusq; caro. Concludendum est igitur, quod sicut caro Christi est caro Mariæ, vt inquit Arnoldus Carnotensis, *lib. de laudibus Virginis*, & Augustinus in *Assumpt. Deiparæ c. 5.* qui ait, *Caro Iesu, caro est Mariæ, & multo specialiùs, quàm Ioseph, Iudæ, cæterorumq; fratrum eius.* Vt quemadmodum Maria Christo adiutorium extitit præordinata non solùm similis in structura corporali, sed etiàm in ornatu spirituali, videlicèt in Iustitia originali Mater filio similis fuerit. Et quemadmodum filius originalem, per se non contraxit culpam, sic neque Maria per filium maculam originalis labis contraxit. Quod intellexit Riccardus de S. Victore in *Cant. c. 26.* dum inquit, *Angelicam deniq; in Terra adepta est puritatem, & Dei similitudinem in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta, mente, & corpore.* Et Thomas de Villanoua, *Conc. 3. de Natiuit. Virg.* ait de Christo, *Totus fuit Matri simillimus non solum forma, & vultu, &c. Deniq; in omnibus Mater nihil fuit, nisi filij adumbrata Imago, & filius Matris expressa figura.* Quod fortassis Augustinus etiam innuere voluit, quando *Serm. 20. de Natiuit. Domini, ad fratres*, dixit, *Igitur in Cælo qualis est Pater, talis est filius, sicut & in terra qualis est Mater, talis secundùm carnem est filius.* Ita decebat pro Virginis Matris honore. Bernardi verba referam *Serm. in c. 12. Apocalip.* qui Mariam adiutorium appellat, ac inquit, *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum, congruum magis erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterq; quorum corruptioni neuter defuisset.* Pro humani generis institutione non erat bonum hominem, scilicet Adam esse solum, fuit ob id ei similis Eua formata; Sic pariter ad humani generis restitutionem, & reparationem, non erat nobis bonum Christum esse solum, hinc Mariam eligi, & creari congruum fuit. Ergo Maria in puritate, & innocentia Christo similis fuit. Ergo peccatum

Arn. Car.
August.
Ric. Vict.
Th. de V.
August.
Bernard.

catum

catum originale non contraxit. Si Eua in corruptione humanæ naturæ fuit Adę similis per culpã, quare Maria in reparatione eiusdem naturæ non fuit Christo similis per
Io. de Ag. originalem iustitiam? Hoc, aduertit Ioannes de Agacijs,
Nouarin. *tract. de Concept.* apud Nouarinum, *Vmbr. Virgin. n.* 209. sic inquiens, *sicut Eua fuit similis Adæ ad corruptionem, ita Beata Virgo similis Christo ad reparationem, & sic necesse fuit, vt esset à peccato immunis, sicut & ipse Christus*. Audiamus tandem Anastasium Synaitam, *lib. 6. Anagogic. contempl.* vbi sic ait, *Et quis mihi (dic quæso) aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus, audebit dicere quod ea, quæ eiusdem simul cum Deo essentiæ (quo ad carnem attinet) non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus?* & ibidem, *Quomodo est enim Mater huiusmodi non ferens in se integram, & illæsam fætus sui imaginem?* ex hoc igitur concludatur puritas, & innocentia Virginis Mariæ.

Tertia Figura, quæ Virgineæ puritatis, & innocentissimæ Conceptionis veritatem demonstrat, est Inimicitia, bellumq; inter mulierem, & serpentem à Domino indicta. Ex *Genes. c. 3.* habemus, quod post Parentum nostrorum lapsum, audiens patientissimus Deus Adam sua culpa Euam grauasse, his verbis, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, &c. dedit mihi de ligno, & comedi*. Euam pariter, sentiens, culpam suam in Serpentem refudisse, dicendo, *Serpens decepit me, & comedi*, ad Serpentem dixit, *Inimiditias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Mulierem illam Virginem Mariam figurasse
August. Serpentemq; Inferni Draconem, asserunt Augustinus,
Ambrof. 12. *de Genes. ad liter.* Ambrosius, *lib. de fuga sæculi c.* 4.
Damasc. Damascenus, *Orat.* 1. *de Natiuit. Beata Mariæ*, Cyprianus,
Cyprian. Rup. Ab. *Testam. lib.* 2. *c.* 9. Rupertus Abbas, *lib.* 3. *in Nahum. c.* 3.
Bernard. Idi. Cont. Bernardus, *Serm.* 12. *cap. Apocalip.* Idiota, Contemp. *de*
Vinc. Fer. *Beata Virgine c.* 4. Vincentius Ferrerius, *Serm. de Concept.*
Alp. Tost. *Beatæ Mariæ Virginis*, Alphonsus Tostatus, *in Genes c.* 3.

Ambro-

Ambrosius Catharinus, *Opusc. in cap. 3. Genes.* & alij multi hoc idem sentiunt. Maria Profectò est illa mulier, quam Salomon, *Prouerb. c.* 31. requirebat, dicens, *Mulierem fortem quis inueniet?* Sic fatur Bernardus *hom.* 2. *in Missus est*. Hæc est illa mulier Immaculata, quæ computabatur super vtriusq; Ecclesiæ Ciuitatem, in quibus nomen Domini benedictum laudabatur, & confirmatur in sæcula, *Ecclesiast. c.* 40. Hæc est illa speciosissima, atq; pulcherrima inter omnes mulieres, *Cant. c.* 1. ac etiam illa, quam Sole indutam, Stellis coronatam, pedes Luna decoros habentem, vidit Ioannes *Apocalip. c.* 12. Bernardus asserit, *ibidem*. Hæc Diabolum vicit, dirumq; caput eius in suæ Sanctissimæ Conceptionis exordio contriuit. Haud quaquam fatendum est diuinam intelligendam esse de Eua indignationem contra Serpentem. Primò, quoniam, inquit Sacer Textus, *Inter te*, voce demonstratiua, *& Mulierem*, quam, voce demonstratiua, *hanc*, vel *illam* (quamuis ibi fuerit Eua præsens) non ostendit; Quia de alia futura Muliere iam præuisa, & præelecta loquebatur Diuina Maiestas. Tùm quia, Eua ipsa à Serpente fuerat decepta, deuicta, vulnerata, atq; contrita; ideo ad eandem verba Dei referri non possunt. Secundò, quia inquit, *Ponam*, in futuro, ergo ad aliam Mulierem respexit Deus, non ad Euam, quæ tunc ibi præsens aderat; sic ex Cypriano colligitur, *lib. adu. Iude. c.* 9. vbi inquit, *Audi itaq; domus Dauid. Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat Agonem, &c. Ecce Virgo concipiet, &c. Hoc semel dixerat Deus de Muliere procedere, quod calcaret caput Diaboli, in Genes. &c. Et ponam inimicitiam inter te, & Mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.* *Et Serm. de Natiuit. Virg.* ait, *Non dixit, pono, ne ad Euam pertinere videatur verbum promissionis, sed ponam, idest suscitabo Mulierem, &c.* Tertiò patet etiam, quoniam dixit Deus, *Et semen tuum, & semen illius*. Quænam Mulier semine proprio, & sine Viri commixtione, peperit

Am. Cat. Prouerb. Bernard. Ecclesiast. Cantic. Apocal. Bernard. Cyprian.

peperit vnquam? nisi Maria Sanctissima Virgo? quæ de suis purissimis sanguinibus genuit Iesum? De ipsa igitur intelligi debet diuinum eloquium. Eua enim, cęteræq; Mulieres virili commixtione concipiunt,& pariunt; Quo

Liranus. circa Liranus, *Genes. c. 3*. aliorum placito, ait, *Non istam Euam, sed aliam ab ea descendentem, scilicet Virginem Mariam, quæ est infesta Dæmonibus, & semen illius, scilicet Christum, qui est Mariæ naturalis filius. Ipsa conteret caput tuum, quia per ipsam, mediantè filio, potestas Dæmonis est*

Epiphan. *contrita*. Et Epiphanius, *lib. 3. Hæres. hæres.* 88. ait, *At nusquam eiusdem semen Mulieris inueniri potest, vnde non aliter, quam per adumbrationem, & similitudinem ad Euam*

Am. Cat. *hostiles illæ inimicitiæ referuntur*. Et Ambrosius Catharinus, *Enarrat. in c. 3. Genes.* expressiùs inquit, *Non dico stolidam Euam, sed illam sapientissimam, quam in Eua designatam cognouisti. Illa enim est vera Virago, non ista Eua, quę tam facile passa est se abs te seduci. Illa est vera Mater viuentium, non autem hęc Eua, quę Mater constituta est morientium, &c. En nouum in te paratur, & statuitur bellum.* Hæc igitur fortissima Mulier, Diaboli caput in sua Conceptione contriuit, quod alijs cunctis negatum est. Peccatum Originale haud quaquam contraxit. Omnes, Serpentes morsu lethali, ante ortum morimur, quod

Bernard Bernardus, *lib. de 12. Gradibus Humil. vel Superb.* confirmat dicens, *Nascimur, morimur, ideoq; nascimur morituri, quia prius morimur nascituri*, & hoc, quia in vtero Matris sumus à Serpente iugulati. At Maria Virgo vitæ Mater, Serpentis Victrix Gloriosa,non fuit venenoso morsu sauciata, iugulata, sed ipsa dirum eius contriuit caput;

Idem. Quod idem prædicat Bernardus *Serm. super Missus est*, inquiens, *Cui hęc seruata victoria est nisi Marię? Ipsa procùldubio caput contriuit venenosum*. Et in *Apocalip. c. 12.* ait, *Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa Mulier Serpentis antiqui caput, virtutis pede, contritura, cui planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa.*

Quod

Quod illa ſubiecto peccati originalis in homine, caput ſit Diaboli, Ioannes Echius, *Serm. de Concept.* apertè oſtendit, his verbis, *Subiectum eſſe peccato originali, caput eſt Diaboli, eo quod principium illud eſt, quo Diabolus hominem in ſuam adducit poteſtatem.* Hoc caput fortiſſima Virgo Mulier contriuit, quod præcecinit Dauid *Pſal.* 73. dicens. *Tu confregiſti capita Draconum in aquis.* Abimalech fracto, præciſoq; capite, victoriæ ceſſit, & vitæ, *Iudic. c.* 13. Dauid percuſſo, abſciſſoq; Goliat capite, Sauli Regi retulit victoriam. 1. *Reg. c.* 17. Iudith. truncato capite Holofernis, Bethuliam ab obſidione liberauit, *Iudith. c.* 13. Sic, Virgo Deipara, contrito Serpentis capite, completam victoriam obtinuit. Vltra dicta, quod peccatum originale vocetur caput Draconus, Chriſtopolitani ſententia eſt, in *Pſalm.* 73. vbi ſic ait, *Peccatum originale dicitur caput Draconis, ideſt Diaboli, qui primò mordet in noſtra libidinoſa generatione*; Quo circa idem Epiſcopus in *Cant. Magnif.* inquit, *Manifeſtum eſt, quod non momordit eam morſu corruptionis ærumnarum, & dolorum in conceptu, & in partu Filij Dei; Nec morſu incinerationis, vt iam communiter tenet tota Eccleſia, ergo minus momordit eam morſu originalis culpæ, aut alterius peccati, quod maximè ipſam vulneraſſet, & deſpiciendam reddidiſſet, & ſic non contriuiſſet caput Serpentis, quod eſt contra Sacram Scripturam*, & nos canimus, *Quæ neque Serpentis perſuaſione decepta, nec eius venenoſis afflatibus infecta eſt.* Ob quam victoriam totus mundus maxima eſt lætitia perfuſus, vniuerſali Eccleſia concinẽte, *Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerſo mũdo.* Hanc victoriam etiam prçuidit Salomon, qui Spiritus Sancti nomine Virginem vocat ad triumphum, dicens, *Veni coronaberis de capite Amana*, *Cant. c.* 5. *Amana*, iuxta antiquam nominum Hebræorum translationem, ſignificat, *Iniquum ei*, Iniquus, Gregorij ſenſu, Diabolus eſt, cuius membra ſunt iniqui homines, *Moral. lib.* 13. *c.* 5. De hoc iniquo deuicto (peccatum originale non contrahendo)

Ioan. Ec.
Pſalmus.
Iudic.
1. Reg.
Iudith.
Iac. de V.
Off. Min.
Eccleſia.
Cantic.
Greg. Pa.

Virgo fortissima Coronata Gloriosè triumphauit,& profectò ita conueniebat propter Maternitatem. Audiamus
Lansper. Lanspergium . *T. 3. conc. 2. sup. festum Concept. B. Virginis*, qui ait, *Dixerat enim Dominus de Beatissima hac Virgine, Diabole, Inimicitias ponam inter te, & Mulierem: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quomodo Beatissima hac Virgo contriuisset caput Serpentis huius, si vel ad momentum, Serpenti, hoc est Diabolo per originale peccatum subiacuisse? Absit, absit, vt Beatissimam Dei Matrem, vel ad momentum filiam dicamus aliquando fuisse Diaboli, filiamq; iræ. Quomodo enim dici posset in Matrem Dei ab æterno electa, si aliquando Diaboli fuisset Ancilla?*

Quarta Figura, quæ Immaculatam Mariæ Virginis Puritatem continet, est Arca Noe. Ob omnis carnis corruptionem, voluit mundi Creator aquis Diluuij mun-
Genesis. dum punire, vt habetur *Genes. c. 6.* Iusti tamen Noe,suæ misericordiæ infinitæ oculis, vultum respiciens, eum voluit ab vniuersali inundatione præseruare, ob idq; Arcam illi fabricandam,struendamq; indixit. *Finis*,inquiens Altissimus, *vniuersa carnis venit coram me. Repleta est Terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum Terra. Fac tibi Arcam de lignis leuigatis, &c.* Post Arcam compactam, omniumq; viuentium speciebus iam in illa conclusis, inundauerunt aquæ, quæ vniuersa repleuerunt Terram, & cooperuerunt. At Arca ita ferebatur super aquas, vt quindecim cubitis, simul cum aquis, omnes
Idem. montes excederet, sic *c. 7. Genes.* habetur, *Porrò Arca ferebatur super aquas,opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso Cælo, quindecim cubitis* (vt dictum est) *Altior fuit aqua super montes quas operuerat.* Arcam Noe,Genitricem
Damasc. Dei Mariam vocat Ioannes Damascenus, *Oratione 1. de*
Bernard. *dormit. B. Virg.* Bernardus, *Serm. de B. Virg. Maria*, Hesi-
Hesich. Chrisipp. chius Hierosolimitanus, *Serm. de laudib. Virg.* Chrisippus
Idelph. Hierosolimitanus, *de Sancta Maria Deipara*, Idelphonsus Toletanus Archiepiscopus, *lib. de parturit. B. Maria Virg.*

Bona-

Bonauentura,*Laudisfm. B. Virginis*,Bernardinus Senensis, *T*. 4. *Serm*. 12. *de Assumpt. B. Virginis*, Petrus Bercorius, *Dictionar. c*. 1. Ambrosius Catharinus, *Opusc. de Immacu-lat. Concept. p*. 1. Petrus Besseus, *feria* 4. *post* 4. *Domin*. & alij Patres, ac rationabiliter idem asserunt. Illa enim, si fuit pro mundi salute constructa, Maria fuit pro salute mundi, immo pro mundi Saluatore, præelecta. Illa, quotquot inclusos habuit, ab ira Diuina seruauit illęsos; Ista quoquot ad suum maternum sinum confugiunt, quosque pietatis suæ visceribus fouet, Diuina eximuntur indignatione. Quæcumq; animalia extra Arcam illam existentia, aquis periere Diluuij; Quilibet peccator, qui ad auxilium Matris Virginis non confugerit, perire experitur. Aquæ illæ, esto inundantes, non intrauerunt Arcam, quia, *Conclusit eam Dominus de foris*, *Genes. c*. 7. Aquæ peccatorum, de quibus Propheta loquebatur, *Psalm*. 68. dicens, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt Aquæ vsq; ad Animam meam*; Et Iob. *c*. 15. inquiens, *Qui bibit quasi Aquam iniquitatem*. Non intrauerunt in Virginis innocentissimam Animam, quoniam præseruauit eam Dominus. Ferebatur super aquas Arca illa, super aquas iniquitatum, Maria ferebatur immunis à culpa. Hoc Petrus Besseus, *fer*. 4. *post*. 4. *Dominic. quadrag*. innuere voluit, dum inquit, *Idem omnino in peccato originali fieri videmus; huiusmodi namque, ac tam vehementer Diluuium fuit, vt omnes quotquot ab Adam continua successione descenderunt, in eo mortui fuerunt. At solus Iesus, nec non & Arca sanctificationis eius; Maria scilicet Deipara, incolumis enatauerint*. Omnes montes, Diluuij cooperti sunt aquis, omnes Sancti, & Sanctæ, quamuis sublimes, qui Montes à Patribus, præcipuè ab Augustino, *in c*. 1. *Ioann*. nuncupantur, peccatorum aquis operti fuere in culpæ diluuio, vel originalis, vel mortalis, vel venialis; Virgo dignissima sola, super omnes Sanctos, & Sanctas, præelecta, intacta, munda, & immunis totaliter ab inundatione, & actualis, & originalis culparum

Bonauen. Ber. Sen. Pet. Berc. Pet. Bess. Am. Cat. Genesis. Psalmus. Pet. Bess. August.

præferuata remanſit. Quapropter vniuerſi Seraphici Patriarchæ Franciſci filij minores, Dei Matris Innocentiæ, & Puritatis perpetui Defenſores, in eiuſdem Conceptionis Officio, Romana ab Eccleſia approbato, humiliter, &

Off. Mir. deuotè canunt, *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis. Ruptiq; ſunt fontes abiſſi magnæ, & factum eſt Diluuium peccati ſuper omnem terram, opertiq; ſunt omnes montes excelſi Sanctorum. Arca verò Deifera electa eſt in ſublime, & ferebatur ſuper aquas.* Arca illa, quia Noè iuſtum clauſum continebat, ſuper aquas efferebatur; Maria verò, quia ſecundùm Dei diſpoſitionem æternam, Chriſtum Dominum verè Iuſtum, à quo omnis vera Iuſtitia dependet, clauſum in vtero geſtare debebat, in tempore gratiæ, ſuper quaſcumq; maculas efferebatur innocens, ac immunis. Hoc idem Salo-

Cantic. mon prophetico ſpiritu ductus, *Cant. c.* 8. inſinuauit dicens, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec*

Bernard. *flumina obruent illam.* Hæc omnia explicat Bernardus, *Serm. de Natiuit.* Audiatur extensè, qui ſic dicit; *Arcam verò Noè ſignificauit Arcam gratiæ, excellentiam ſcilicet Mariæ. Sicut enim per illam omnes euaſerunt Diluuium, ſic per iſtam, peccati naufragium. Illam Noè vt Diluuium exaderet, fabricauit; Iſtam Chriſtus, qui eſt pax noſtra, & requies, vt humanum genus redimeret, ſibi præparauit. Per illam octo Animæ tantum ſaluantur, per iſtam omnes ad Aeternam vitam, quæ per octonarium numerum ſignificata eſt, vocantur. Per illam paucorum facta eſt liberatio, per iſtam humani generis ſaluatio. Illa centum annorum fabricata eſt ſpatio, In iſta omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta eſt de lignis leuigatis; Iſta de virtutibus conſumatis ædificata eſt. Illa ſuper ferebatur Aquas Diluuij, Iſta non ſenſit naufragium vllius vitij.* Maria igitur Virgo Mater, charitatis flagrans incendio, peccatum originale non contraxit.

Quinta Figura, quæ Matris Dei Mariæ mundiſſimam Conceptionem demonſtrat, eſt Arca fœderis, ſeu Teſta-

Exodus. menti. Præcepit Moyſi Dominus, vt habetur *Exod. c.* 25.

vt de

vt de lignis Sethim, cum proportionata latitudinis, & longitudinis mensura, Arcam construeret, auro mundissimo intus & foris deauraret, cum aurea Corona, aureisq; Circulis, & duobus Seraphim aureis super eam, ac multis alijs ornatibus, sicut planè cernitur in Sacro Textu. *Arcam de lignis Sethim compingite, &c. Deaurabis eam auro mundissimo, intus, & foris, &c. Duos quoq; Cherubim aureos, & ductiles facies ex vtraq; parte Oraculi, &c.* In ista Arca Diuinæ Legis Tabulæ, & Manna, quod filijs Israel pluit de Cœlo Deus, & Virgam Aaron asseruari voluit. Quot miracula, & prodigia ipse Altissimus per illa Arcam fecerit, Diuina Scriptura testatur; quemadmodum Hæbrei, & Philistæi etiam experti sunt. Hæc Arca mirabilis Mariam purissimam Dei Genitricem figurabat, quæ ab Ecclesia Arca fœderis decantatur; sic eam vocat Athanasius, *Serm. De Deipara*, Ioannes Damascenus, *Orat. de Do mit. B. Virg. Mariæ*, Gregorius Thaumaturgus, *Orat. de Annunciat. B. Mariæ Virginis*, Bernardus, *Serm. 1. de Aduent. Dom.* Arnoldus Carnotensis, *de Laudib. B. Virginis*, Idelphonsus, *Serm. 1. de Assumpt. B. Mariæ*, Bernardinus Senensis, *t. 5. Coment. in Apocalip. c. 11.* Petrus Cellensis, *lib. de Panib. c. 20.* Iacobus de Valentia, *in Psalm. 41.* Iudocus Clithoueius, *Serm. 2. de Concept.* B. *Mariæ*, & alij Patres id rationabiliter docent. Illa enim Arca fuit à Deo ordinata, Maria à Deo electa, & prædestinata. Illa cum Manna Tabulas Legis, & mirabilem Aaron Virgam includebat; Maria Iesum Christum suum, Deiq; Filium, qui ob Diuinitatem, Manna, &c. ob Animam lex, ob carnem in Resurrectione florida Virga Aaron appellatus est, continebat. Per illam responsa, & oracula accipiebāt Hæbrei; per Mariam inspirationes, & reuelationes recipiunt Christiani fideles. Per illam obtinuit veniam Abiathar Sacerdos, *3. Reg. c. 3.* Sic Salomon fassus est, *Et quidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid Patre meo.* Per Mariam

Athanas. Damasc. Thaum. Bernard. Arn. Car. Idelph. Ber. Sen. Petr. Cel. Iac. de V. Iudoc. Cl.

2. Reg.

pec-

peccator æternæ mortis addictus, supplicio liberatur. Per illam à Domino benedictionem obtinuit Obededom Gethęus, 2. *Reg. c. 6. Habitauit Arca Domini in Domo Obededom Gethęi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius*. Per Mariam omnes, cunctęq; generationes à Domino benedictionem suscipiunt. Cum eleuaretur Arca illa pro inimicorum deiectione, dicebat Moyses, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua*, *Numer. c.* 10. Sic per Mariam, inquit Bernardinus Senensis, *t. 3. Serm.* 11. *art.* 1. *c.* 3. *Figurata est B. Virgo in figura Arcæ Mosayce, de qua Numer.* 10. *scriptum est; Cum eleuaretur Arca, dicebat Moyses, surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugient, qui oderunt te à facie tua*. Et hoc maximè dicendum est, quando Maria Virgo eleuata fuit ad Dei maternitatem; Tunc enim omnes Dæmonum conatus euanuere, ac eorum potestates dissipatæ fuere. Illa fuit intus, forisq; deaurata; forisq; ac intus Maria Virgo, scilicet in corpore, & in Anima fuit auro purissimo charitatis deaurata. Illa tandem compacta erat de lignis Sethim, quæ leuia sunt, pulcra, fortia, & imputribilia, & B. Virgo Maria fuit leuissima, quia sine grauitate peccati, pulcherrima, ob charitatis splendorem, fortissima contra Dæmonum potentiam, & à putrefactione prorsus aliena, quia nulla labes nec actualis, nec originalis culpæ illam maculauit; & ideò ab omni peccato in suo Conceptionis exordio fuit immunis. Arca profectò mirabilis, quæ infiniti pretij, ac valoris gemmam suis inclusit visceribus. Hanc Arcam putredine originalis culpę carentem vidit Ioannes, *Apocalip. c.* 11. sic inquiens, *Visa est Arca Testamenti in Templo eius*. Hanc resurgentem Arcam cum Filio, incorruptam vidit ad Gloriam, Propheta Dauid *Psalm.* 131. at dixit, *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ*. Arca vtiq; sanctificationis, quæ sanctificationis infinitum thesaurum castis purissimisque visceribus, suscepit, sic clamat Thaumaturgus Gre-

Marginalia: 2. Reg. — Numer. — Ber. Sen. — Apocal. — Psalmus. — Thaum.

Gregorius, *Serm.* 1. *in Annunciat. B. Mariæ*, inquiens; *Verè enim Arca est Sanctissima Virgo intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit*. Quis igitur incorruptibilem Arcam Domini, auro purissimo, omni ex parte fulgentem, putridam prius, corrosam, contaminatam audebit affirmare? Quis Matrem Dei omni gratia repletam, omni virtute decoratam, omni priuilegio munitam, peccati originalis macula, vel verme, vel gladio, seu veneno conspurcatam, confractam, iugulatam, venenatam prædicare præsumet? Audiamus Bernardum, vbi sup. *Serm. de B. Virg.* quam auctoritatem affert Aloysius Lippomanus, *Caten. in Exod. c.* 2. *De lignis verò Sethim condita est Arca, in qua Thuribulum, Manna, & Virga sunt recondita; quia, licet Maria de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præseruata ad purum, Deum nobis obtulit, & hominem*. Hoc vnum de Arca addere, necesse est. 1. *Reg. c.* 5. habetur, quod à Philistæis capta Arca Domini in Azotum transportata fuit, quam cum Azotij posuissent iuxtà Dagon in Templo, primo mane inuenerunt Dagon pronum ante Arcam: secundo mane restitutum Dagon reperierunt iacentem in terra, capite, & manibus præcisis, porrò, dicit Sacer Textus, *Dagon solus truncus remansit in loco suo*. Idolum peccatum est. *Quid Dagon cum Arca?* inquit Abulensis in hoc loco, *Quod Deus voluit ostendere in hoc Dagon nihil esse*. Nihil peccatum est. Non poterat stare Dagon cum Arca, poterit stare peccatum cum Maria? Absit, absit, absit. Eleuemus Arcam cum Innocentiæ laudibus, purissimam eius Conceptionem prædicando, & fugiant Dæmones inimici à facie eius, & seruorum eius.

Bernard. Lippom. 1. Reg. Alph. Te.

Sexta Figura, quæ purissimam Dei Matris Conceptionem exponit, est Virga Aaron, qua Moyses in Aegypto, coram Pharaone, multa fecerat prodigia, vt habetur, *Exod. c.* 7. Hæc Virga Hebræorum, seditionis tempore, contra

Exodus.

contra Moysen, & Aaron exortæ, inter alias duodecim Virgas, iuxta duodecim tribus filiorum Israel, sola germinauit, Domino operante, frondes emisit, flores, fructusq; amigdalarum instar produxit, sic legitur, *c.* 17.
Numer. *Numer. Sequenti die regressus* (idest Moyses) *inuenit germinasse Virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis, eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amigdalas deformati sunt*. Hanc Virgam voluit Dominus in Testimonij Tabernaculo, vt seruaretur ibi, *In signum Rebellium filiorum Israel, & quiescant quærela eorum à me, ne moriantur*, ibidem. Ex qua Arbore tam admirabilis hæc Virga desumpta sit,
An. del P. referam cum Angelo del Pas, in *Exposit. Symb. Apost. lib. 6. art.* 4. ex Petro Galatino forsan, *lib. 6. cap. vlt.* Scilicet responsum Rabbi Heccados ad Antonium Romanum Consulem, dicentis, *Quod me rogas de Virga Moysis tibi notitiam dare, dicam tibi quod de hoc scriptum reperi à Rabbi Simeone filio Iohai, in libro, qui vocatur MachKar Hassudoth, idest, inuestigatio secretorum, dicitur, sic dicente, Virga illa, qua Moyses, & Aaron miracula faciebant in Terra Aegipti, & postea in Deserto floruit, Gemmas edidit, ab ea Arbore abscissa est, quam Deus Moysi ostendit in Deserto, vt Aquæ amaræ dulces fierent, & hæc Arbor excisa fuit ab Arbore vitæ, quæ in Paradiso sita erat, Angelorum manibus*. Hoc habetur in libro eiusdem Rabbi sub titulo Gale Razeya. Hanc Aaron
Ambros. Virgam Mariam semper Virginem figurasse, dicit Am-
Hieron. Damasc. brosius, *lib.* 2. *in Luc. c.* 1. Hieronymus, in *Isaiam lib.* 4.
German. *c.* 11. Ioannes Damascenus, *Orat.* 1. *de Natiuit. B. Mariæ,*
Chrisipp. Germanus Constantinopolitanus, *in Natiuit. B. Mariæ*
And Cre. Vig. Trid. *Virginis*, Chrisippus Hierosolimitanus, *Orat. de Sancta*
Bernard. *Maria Deipar.* Andreas Cretensis, *Orat. de Natiuit. Virg.*
Bonauen. Vigilius Tridentinus, *lib.* 3. *contra Eutich.* Bernardus in
Fulbert. *Apocalip. c.* 11. Bonauentura, *Specul. Virg. c.* 12. Fulbertus Carnotensis, *Serm. de Natiuit. Virg.* & alij plurimi qui hoc idem prædicant, maxima ratione ducti. Quoniam per ipsam ad salutem generis humani multa prodigia

fiunt,

fiunt, & miracula. Pharaonitæ, ideſt Dæmones ipſi puniuntur, torquentur; cuncta machinamenta Magorum, Hæreticorum videlicet, deſtruuntur, diſſoluuntur; interimuntur dogmata falſa, vt canit Eccleſia, *Gaude Maria Virgo, cunctas Hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo*; Deo operante, Gemmas emiſit, omni humano auxilio ſemoto; frondes, flores, fructuſq; produxit, quoniam Spiritus Sancti gratia opitulante, ſanctas cogitationes, ſanctiora verba, ſanctiſſima opera emittebat. Deſumpta eſt de Ligno Vitæ, ergo peccati originalis mortem euaſit. Lignum Vitæ Chriſtus eſt, vt ſuo ore ipſe profert, *Ioann. c.4. Ego ſum Via, Veritas, & Vita*; De Chriſti Arbore, ideſt de Filij ſui potentia, de Verbi Aeterni ſapientia B. Virgo præelecta, præordinata fuit. Vel de Chriſti Arbore, ideſt de Cruce, quæ Arbor Vitæ verè dicitur, quoniam in ipſa Chriſtus vita pependit, & mortem ſuperauit in æternum, & per ipſam totus viuificatus eſt Mundus; in ipſa enim eſt ſalus noſtra, vita, & reſurrectio; quia Sanctiſſima Virgo per Paſſionem, Crucem, & Chriſti mortem præuiſam fuit præſeruata à peccato originali, & nulla, prorſus labe contaminata. Hoc canit Eccleſia Minorum, dicens, *Hæc eſt Virga, in qua, nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*. Proprij peccati, & opere patrati, tamquam aſperrimus cortex à Virgine fuit ſemper inuiſus; Noduſque internus, ideſt originalis peccati ab Aaronica Virga Maria ſemper remotus fuit. Hinc Albertus Magnus in *Miſſus eſt. cap.* 136. inquit, *Nos verò per Virgam Mariam intelligimus, cui nullus frutex adhæſit*. Forſan ex Hieronymo, vbi ſupra, eadem dicente verba, *Nos autem Virgam, &c. Sanctiſſimam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem*. Hanc eandem veritatem ſubſtinens deuotus quilibet ad Virginem eleuatus dicere debet, *O pijſſima Domina, credo, & fateor, quod tu ex Radice Ieſſe pulcherrima, & per hoc*

Eccleſia.

Off. Min.

Alber. M.

Hieron.

ab omni quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, pretiosissimum florem produxisti. Inter Virgas ex duodecim Tribubus filiorum Israel selectas, sola Virga Aaron (vt dictum est) floruit, & in Tabernaculo Testimonij asseruata est; Inter omnes filios, & filias Adæ, solummodo Virgo Maria floruit gratia in primo instanti suę Conceptionis, in quo fuit immunis à peccato originali. Hoc Mariæ Matris Dei peculiare priuilegium est, haud datum est alijs. Concludamus nostrum assertum cum
Pet.Dam. Petro Damiano, à quo sic enunciatur, *Serm. de Assumpt. B. Mariæ, Maria est Virga Aaron, per quam fiunt signa, & mirabilia*; Quoniam cęteris omnibus Virgis non crescentibus, vna viuit, vna floruit, vna fronduit, vna fructum dulcissimum protulit. Nam cęteris hominibus peccati originalis ariditate deformatis, Ipsa perpetua viriditate gratiæ semper floruit. *Egredietur Virga de Radice Iesse*
Isaias. (vt promittit Propheta Isaias *c.* 11.) in omnium Populorum Ecclesias, suam Purissimam, Innocentissimamq; Conceptionem prædicando, celebrando, & sic replebitur omnis Terra Gloria Domini, qui Matrem suam ab omni culpa originali seruauit immunem.

Septima Figura, qua Immaculata Conceptio Dei Genitricis significatur, est Ciuitas Dauid, quæ quandoque
Psalmus. Ciuitas Dei appellatur, de qua Propheta *Psalm.*86. dixit, *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei*: Quænam fuerit ista
2. Reg. Dauid Ciuitas, habetur, 2. *Reg. c.* 5. vbi legitur, Dauid cępisse Arcem Sion, Quæ deinde Dauid Ciuitas dicta est, quoniam ipse Rex habitauit in ea, *Cepit autem Dauid Arcem Sion, hæc est Ciuitas Dei*; Et inferiùs, *Habitauit autem Dauid in Arce, & vocauit eam Ciuitatem Dauid, & ædificauit per girum*. Hoc in loco priùs fuerat ædificata Hierusalem. Quod hæc Dauid Ciuitas, Dei Ciuitas etiam appelletur, clariùs patet. Ipse enim Dauid expresse confi-
Psalmus. tetur in *Psalm*.47. vbi inquit, *Fundatur exultatione Vniuersæ Terræ Mons Sion latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni*,

& su-

: ſuperiùs, *In Ciuitate Dei noſtri*, inquit, *in Monte ſancto us*. Immò Arx Domini nuncupabatur. Hæc Ciuitas eatam Virginem Immaculatè Conceptam figurabat;)uoniam Ciuitas Dei, vel Dauid appellabatur; quod firmat Ioannes Chriſoſtomus, *In Annunciat. B. Virg.* Chriſoſt. :yrillus Alexandrinus, *T.* 5. *Encom. in S. Mar. Deipar.* Gyril. Al. 'heodorus Studita, *Ode 6.* Ioannes Damaſcenus, *Orat.* 1. Theo. St. *e Dormit. B. Mariæ*, Germanus Conſtantinopolitanus, Damaſc. *erm. de Natiuit. Virginis*. Ioſeph Hymnographus, Theo- German. ɔcia, *Can. 26. Aprilis*, Methodius Martyr, *Orat. de Si-* Ioſ. Hym. *eone, & Anna*; Anſelmus, *Hymn. ſiue Salut. deprecat.* Method. upertus Abbas, *in Cant. c.* 5. Antonius de Padua, *Domin.* Anſelm. . *in quadrag.* & alij multi hoc idem adſtruunt. Nam, Rup. Ab. uemadmodum Ciuitatem illam Dauid Rex ædificauit, Ant. Pat. habitauit in ea, ſic Dei Verbum, Patris Filius in Ci- itatem ſuæ habitationis, Mariam puriſſimam elegit, ædi- cauit, creauit, vt Propheta teſtatus eſt *Pſal.* 86. & Bo- Pſalmus. auentura declarat in *Luc. c.* 11. inquiens. *Qui fecit ven- rem factus eſt in ventre; vnde in Pſalmis dicitur, Glorioſa icta ſunt de te, Ciuitas Dei*, & poſt, *homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus*. Quod etiam præuidit Bonauen. ſaias, *c.* 14. inquiens, *Deus fundauit Sion, & in ipſo ſpera- unt pauperes Populi eius*. Maria enim ſpes noſtra eſt (cla- Iſaias. nat Eccleſia) per ipſam nos panperes fideles in Domino :onfidimus, ſperamus: Ob iſtam præuiſam habitationem 'ilij in Virginis vtero, idem Propheta Dauid *Pſalm.* 9. ad Pſalmus. anendum Domino cunctas deuotas excitat Animas, cla- nans, *Pſallite Domino, qui habitat in Sion*. Ab æterno ıanc ſibi Ciuitatem Dominus elegit, in illo æternitatis ſi- ;no, in quo decretum fuit Verbum incarnari. Tunc enim :alem, ac tantam Virginem puritate, & innocentia inſi- ;nem omniq; decore corruſcantem, in mente habens, ſibi :legit in Matrem; *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam n habitationem ſibi, Pſalm.* 131. Hanc virgineam Ciuita- Pſalmus. :em, eius dulciſſimus Filius, omnibus virtutibus, gratijs,

 & hono-

& honoribus cumulatiſſimè repleuit. Quod in ſpiritu de-
Eccleſiaſ. precabatur Eccleſiaſticus, *c.* 36. dicens, *Reple Sion innumerabilibus virtutibus tuis, & Gloria Populorum.* Repleuit ſanè Iuſtitię originalis virtute, quę Dei eſt, quoniam ipſe ſolus, ex ſui natura innocẽtiſſimus, & immunis eſt ab omni peccato, & Beatiſſima Virgo Mater per Filium Deum. Hęc eſt illa Ciuitas Ieruſalẽ, quam Ioannes deſcendentẽ vidit
Auguſt. de Cęlo, de qua Auguſtinus, 20. *de Ciuit. Dei cap.* 17. ait, *De Cælo deſcẽdere dicitur Ciuitas iſta, quia Cæleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit.* Hanc Ciuitatẽ munitã Dominus ab inimicis defendit, quoniã ipſe, qui ſpecialiſſimo redemit, & ſal-
Iſaias. uauit modo, eſt ei murus, & antemurale, vt Iſaias, *c.* 26. prę-uidens dixit, *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Ex quibus omnibus concludendũ eſt, Mariam Virg. peccatũ originale non contraxiſſe. Si ſal-
Idem. uatio de Monte Sion, Iſaias, *c.* 36. & *Pſal.* 68. *Quoniam Deus*
Pſalmus. *ſaluum faciet Sion*, quomodo ſauciatam peccato originali eam poſſumus imaginari? *In Sion dabit Dominus electis ſalutis*, Iſaias, *c.* 46. Et ipſa abſq; ſalute, vulnerata, vęnenata prędicabitur? Abſit hoc dicere. De admirabili nomine Sanctiſ-
Id. Cont. ſimę Mariæ, ait Idiota Contemplatiuus, *Contẽpl. Virg. Mar. c.* 5. *ſuper omnia nomina reficit lapſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, vngit agonytas, & iugum Diaboli extrudit;* Et ipſa Domina virulenti Serpẽtis flatibus inficietur? Lacerabitur morſibus? Non conſonũ eſt dicere.
Iſajas. Audiamus quid dicit, Iſaias *c.* 37. Contra Aſſiriorũ Regem de Ciuitate Dauid, referẽs, Prophetico Spiritu verba Dei. *Protegam Ciuitatẽ iſtam, vt ſaluem eam proptèr me, & proptèr Dauid ſeruum meũ.* Idem miſericors Dominus ab incendio Sodomæ, & aliarum Ciuitatum, Segor Ciuitatem, quæ *paruula*, interprætatur, exemit, proptèr Loth, qui eam cum
Geneſis. filiabus ſuis habitauit, vt habetur, *Geneſ. c.* 19. vbi legitur Angelum dixiſſe Loth, *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam Vrbem hanc, pro qua loquutus es.* Forſan à peccati originalis incendio, quod totum combuſſit Mundum,

dum,Deus omnipotens,propter Filium suum,qui in Virginali Ciuitate, parua ob insignem humilitatem,nuncupata, *Cant. c.8. Soror nostra parua*, per nouem menses habitauit, proprio corpori, Animæq; Hypostaticè vnitus, eam ab incendio non præseruabit? Nequaquam credendum est. Cantic.
Si per transitum, prophanum velimus factum Historicum narrare, Plinio, *lib. 36. c.9. Histor. natural.* scribente, addimus Cambisis Persarum Regis gestum mirandum, qui propter Obeliscum, mira Arte, & immensi auri pondo fabrefactum, erectum in Vrbe Heliopoli in Regno Thebaidis sita; eam Ciuitatem à Militum vastatione,& flammarum incendio, (toto Regno iam absumpto) fecit immunem. Et Creator omnipotens,ob Christum Dominum à Dæmonis insidijs, & à culpæ originalis vorante flamma, Mariam Virginem Matrem non præseruabit? Quis dicere poterit?Hoc priuilegium præuidit,& predixit Hieremias, *c.38.*inquiēs,*Ciuitas hęc non succendetur*;& merito Filij Dei, qui est Patris Aeterni Sapientia.Sic testatum reliquit Ecclesiastes,*c.9.Liberabit Vrbem per Sapiētiam suam.* Sapienter Deus fecit immunem Ciuitatē hanc ab omni Tributo Legis;ideò concluditur,quod B.Virgo ab omni originali macula fuit præseruata, sic cum Pinto terminamus,qui, *T.2. in Ezechiel c. 43.* ait, *Immaculata Dei Genitrix hac est Ciuitas immunitate ornata,qua tale Tributū pendere non agnouit.* Plinius. Hierem. Ecclesiast. Pintus.

Octaua Figura Virg.Mariæ puritatē continens,Thronus est Salomonis,quem ipse Rex,mira magnificētia, fabricari voluit.Erat enim Thronus ille magnus de Ebore purissimo compactus,cooperimentū ex lucidissimo auro constructū, sex habebat gradus,in quibus duodecim hincinde insedebant Leunculi,fastigium rotundū erat;Sedem duæ manus duobus iunctę Leonibus sustinebant,ob artis industriā,ob materię valorē,ac operis pulcritudinē,in *4.lib.de Esdrę c.8.* loquendo de Salomone, legitur, *Cuius Thronus inextimabilis*: & *lib.3.Reg. c.10.* habetur, *Non est factum tale opus in vniuersis Regnis. Fecit Rex Salomon*, sunt verba Textus, 4.Esdræ. Reg. 3.

Thro-

Thronum de Ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas Throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc inde tenentes sedile, & duo Leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim Leunculi stantes super sex gradus hinc, atq; inde. Beatam Virginem Mariam vocant Thronum Athanasius, *Orat. de Sanctiss. Deipara*, Ioannes Damascenus, *Orat. in Natiuit. B. Mariæ Virginis*, Epiphanius, *de Laudib. Virg.* Germanus Constantinopolitanus, *Orat. in Natiuit. B. Virginis*, Chrisippus Hierosolimitanus; *Orat. de Sancta Maria Deipara*, Petrus Damianus, *Serm. 1. de Natiuit. B. Mariæ Virg.* Antonius de Padua, *Domin. 5. post Trinit.* Bonauentura, *Specul. Virg. c. 11.* Bernardinus Senensis, *T. 4. Serm. 12. de Assumpt. B. Mariæ, art. 1. c. 2.* Hugo Cardinalis in Ecclesiasticum, *c. 24.* Et multi alij Patres in hoc conueniunt. Quod huiusmodi Thronus Virginis Mariæ Innocentiam exprimat, hoc apertissimè patet, quoniam, si ille fuit magnus, magna profectò fuit Maria; Magna enim ab Omnipotente Filio suscepit, sic ipsa fatetur in suo *Cant. Luc. c. 1. Fecit mihi magna, qui potens est.* Inter quæ magna primò includitur præseruatio ab originali culpa, vt aduertit Christopolitanus, super *Magnificat*; quod forsan Petrus Damianus, cuius explicationem aduertimus, intelligere volebat, dum *Serm. 1. de Natiuit. Virginis*, super prædicta verba protulit, *Nam & si multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei, vt Virgo Dei genitrix, cuius pulcritudinem Sol, & Luna mirantur.* Ille Thronus de Ebore candido compactus erat, Maria de Cœlesti gratiæ candore formata; Ille deauratus auro lucidissimo, Maria decorata Charitate ardentissima. In illo Regis sedile erat, in Maria fœcunditas æterni Regis. Per sex gradus ascendebatur ad illum, Per sex gradus deuotionis ascenditur ad Mariam. Duo Leones iuxta manus duas in illo erant, Duæ manus in Maria sunt, Virginitas, & Maternitas, quæ duo-

[Margin notes: Athanas. Damasc. Epiphan. German. Chrisipp. Pet. Dam. Ant. Pat. Bonauen. Ber. Sen. Hugo C. — Lucæ. — Iac. de V. Pet. Dam.]

bus

bus Leonibus, ſcilicet veteri, nouoq; Teſtamento ſubſtentantur. Faſtigium erat rotundum, Sublimitas Mariæ perfectiſſima. Duodecim Leunculi hinc inde illius erant in gradibus, duodecim Apoſtoli ſunt, qui tamquam Leones Innocentiam Deiparæ defendunt. In illo ſolùm Salomon ſedit, in Maria pluſquam Salomon Chriſtus Rex Gloriæ ſtetit. De illo tandem Throno dictum eſt, *Non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis*, & de Maria canitur à Beda in *Luc. c. 11. lib. 4. c. 49. Nec primam ſimilem, viſa eſt, nec habere ſequentem*; Quoniam ante, vel poſt Adæ lapſum, nulla creatura fuit, neque poſt ipſam erit futura; quæ fuerit à labe peccati immunis. Hanc puriſſimam Virginis innocentiam præuidit Propheta *Pſalm. 89.* dum, loquens de Incarnati Verbi Throno, inquit, *Thronus eius ſicut dies Cæli*. In Cœlo nullæ tenebræ, nulla nox, ſemper claritas, ſemper lux, vt idem Beda, *Serm. 18. de Sanct.* docet; ſic in Throno Virgineo, tenebrarum, vel noctis vmbræ, vel oſcuritas peccati originalis, nulla fuit; quapropter ſequitur Propheta, *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo*. Quis igitur diceret Virginem aliquando obſcuram fuiſſe? Abſit. Sed vnde hoc Virgini? A Diuina clementia Filij, à Diuina gratia, dicendum eſt. Sic habetur, *Prouerb. c. 25. Roborabitur clementia Thronus eius*. Ad huius Throni confugium fidelium mentes hortabatur Paulus *Hebr. c. 4. Adeamus*, inquiens, *cum fiducia ad Thronum gratiæ*. Gratia opponitur culpæ (priuatiuè docent Theologi) ergo, ſi Beata Virgo eſt Thronus gratiæ ſubſiſtentis, quoniam incarnatum verbum in vtero Matris Virginis Spiritum Sanctum ſpirabat, non poſſumus in ea culpam imaginari. Audiamus quæſo Bernardinum Senenſem, qui *t. 4. Serm. 5. de Natiuit. B. Mariæ Virg. art. vn. c. 8.* ſic ait, *Reperio quod ſit Aeternus Deus genitus ab æterno, & æternum Deum producat, & quod Spiritum Sanctum ſpiret, etiam ipſe clauſus in Virgineo Vtero in æternitate à Deo Patre generabatur æternus; Et in eadem æternitate ipſe in Ventre Matris Deum ſpirabat,*

[Margin notes: Beda. (beside "Luc. c. 11"); Pſalmus. (beside "Pſalm. 89"); Beda. (beside "Serm. 18"); Pſalmus. (beside "Thronus eius ſicut Sol"); Prouerb. (beside "Prouerb. c. 25"); Hebr. (beside "Hebr. c. 4"); Ber. Sen. (beside "Bernardinum Senenſem")]

rabat, *& producebat*. Si dixerimus, quod sit Thronus gratiæ inhærentis, propter maximam repugnantiam, à Virgine omninò culpa elongatur. Ex quo sequitur Beatam Virginem peccatum originale non contraxisse. Ex
Apocal. isto Throno lucidissimo, vt vidit Ioannes, *Apocalip. c.* 4. procedunt *Fulgura*, *voces*, *& tonitrua* contra Dæmones, & Hæreses cunctas, quas, (vt dictum est,) per totam Ec-
Petr.Gal. clesiam interemit. Hoc totum clarissimi Petri Galatini verbis, *lib.* 7. *c.* 18. claudamus, dicentis, *Per solium Gloria gloriosam Virginem Mariam Matrem Messyæ intelligi arbitror, quæ cum sit in Cælesti Gloria super omnes Choros Angelicos exaltata, rectè dicitur Gloriæ altitudinis*. Ex quo deducitur, & æterni Regis sublimitas, & Almæ Virginis ab omni labe peccati puritas, & incomparabilis Innocentia.

Nona Figura, ex qua Virginis Mariæ à peccato origi-
Ezechiel. nali immunitas accipitur, est Porta Ezechielis, de qua suo Libro, *c.* 44. habetur, quod Propheta, cum se ad Orientem conuertisset, & Viam, quæ ad Portam Sanctuarij exterioris respiciebat, intenderet, vidit illam clausam; dum verò de ingressu Portæ dubitaret, seù cogitaret, audiuit Dominum sibi alloquentem, & dicentem, quod illa Orientalis Porta erat perpetuò clausa permansura, & nunquam, nec vlli penitus aperienda, hanc ob causam, quia Deus omnipotens per eam ingressum habuit: hinc etiam Principi clausa prorsus erit, qui in ea sedebit. *Et conuerti me* (narrat Ezechiel vbi supra) *ad Viam Portæ Sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ab Orientem, & erat clausa, & dixit ad me; Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea.* Mariam Dei Genitricem appellari Portam affirmat Au-
August. gustinus, *Serm.* 2. *de Natiuit. Dom.* Ambrosius, *lib. de In-*
Ambros. *stit. Virg. c.* 7. 8. Ioannes Damascenus, *Orat.* 1. *de Nati-*
Damasc. *uit. B. Mariæ*, Germanus Constantinopolitanus, *in Natiuit.*
German. *B. Virginis*, Hesichius Hierosolimitanus, *Serm.* 2. *de Laudib.*
Hesich. *Virg.*

Virg. Epiphanius, *Orat. de Laud. Virg.* Andreas Cretensis in *Salutat. Angel.* Bernardus in *cap.* 12. *Apocalip.* Antonius de Padua, *Domin. infr. oct. Epiph.* Bonauentura, *Laudisмo Virg.* & quãplures Patres. Quod illa Oriẽtalis Porta Innocentiã B. Mariæ Virginis includat, clarum est: Quoniam, si Porta illa in Via Sanctuarij posita erat, & Maria Via erat Sanctuarij, scilicèt Christi humanitatis, quę Sanctuarium exterius dici potest, velut Diuinitas Sanctuarium interius. Illa respiciebat Orientem gratiæ, & Iustitiæ, non Occidentem maculæ, & culpæ. Clausa erat illa Porta, Clausa omninò Maria, quod verum non esset, si peccato, & Diabolo semel tantùm aperta fuisset. Per illam clausam Portam nemo transiuit; Nullus prorsus in Mariam intrauit. Valde enìm dissonum fuisset, & turpe, si Diabolus per culpam in Mariam Virginem habuisset ingressum. Illa fuit clausa Principi, & Maria clausa Principi, scilicèt Filio Dei Summi Regis Gloriæ, quoniam, dum per Viam Mariæ ad humanam naturam suscipiendam accessisset, in castissimum, & purissimum Virginis clausum Vterum, haud aperta fuit. Vel fuit clausa Principi, idest in Principis gratiam, & cum Principe clausa, qui sedebat in ea; vndè Ioannes Chrisostomus, *Orat.* 2. *de Annunciat. B. Virginis*, inquit, *Hæc Porta ad Orientem respiciens, quæ propter Dominicum, & ingressum, & egressum, clausa est in æternum.* Potentia Domini est, qui, vt fortis, & potens in ea sedens, ab æterno, secundùm Diuinam electionem à cunctis illam custodiuit aduersarijs. Terrestris Paradisi Portam, etiam post Adæ peccatum, clausam, proptèr Lignum Vitæ in ea plantatum, Cherubim cum gladio igneo, atque versatili Deus voluit custodiri, sic, *Gen. c.* 3. habetur, *Eiecitque Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam Viam Ligni Vitæ.* Quid mirum, si Matrem suam lectissimam, purissimamq; Portam omnino clausam,

Epiphan. And Cre. Bernard. Ant. Pat. Bonau.

Chrisost.

Genesis.

Dominus immediatè custodiuit, dum ipse Princeps exercituum Deus sedebat in ea? Antonius Patauinus enim, *Serm. Dom. 3. post Trinit.* sic inquit, *Princeps Christus in ea solus sedit per assumptæ Carnis humanitatem*, & Idelphonsus, *Serm. 6. de Assumpt. Deiparæ*, ait, *Princeps in ea sedit, quia Dei Filius in Vtero illius nouem Mensium spatio moratus est, indèq; egressus est tanquam Sponsus de Thalamo suo.* Quis illam (non dicam ingredi,) sed neque pulsare, seù tangere fuerit ausus? Per hanc Portam, per hanc Virginem immaculatè Conceptam salutem sperare, & nostrorum veniam peccatorum expectare debemus. Si enim in Porta, idest coram Maria, nostrarum fit iudicium causarum, salutis æternæ sententiam sperandum est obtinere propitiam. Sic nos hortatur Amos Propheta *c.5.* dicens, *Constituite in Porta Iudicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* Neq; timendum est, quoniam in Porta Speciosa, Christi Iesu nomine, conceditur salus; *Act. 3.* Per Mariam immaculatè Conceptam Generis humani salus de Cœlo descendit. Saluator clementissimus noster, eius Filius est. Et qui ad defensionem eius Immaculatæ, ac purissimæ Matris inuigilauerit, & laborauerit, suamq; Innocentissimam Conceptionem obseruauerit, idest laudauerit, prædicauerit, docuerit, cœlestem poterit benedictionem suscipere. Sic illa promisit, ex Prophetico ore, *Prouerb. c. 4.* inquiens, *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obseruat ad postes Ostij mei.* Probamus tandem hanc Portam, vt Figuram, Mariæ ostendere Innocentiam, modernioris Auctoris suffragio, scilicet Cornelij à Lapide, qui, in *Ezechiel. c.44.* sic ait, *Symbolum Portæ Orientalis semper clausæ denotat vtramq; Virginis Conceptionem fuisse intemeratam, & immaculatam, scilicet tam actiuam, qua concepit, & peperit Christum, cuius nomen est Oriens, Zachar. c. 3. quàm passiuam, qua ipsa concepta, & orta est quasi Aurora consurgens & Mater Solis Orientis.*

Ant. Pat. Idelph. Amos. Act. Prouerb. Cor. à L.

Decima

Decima, & vltima Figura Virginis Deiparæ sine macula Conceptionem exprimens, sit Ester, de qua habetur in suo Libro, ferè per totum, vbi legitur, quod cum Regina Vasthi noluisset Assueri Regis acquiescere voluntati, qui post magnificentiam suam cunctis Prouinciarum Principibus, & Populis in Conuiuio præostensam, volebat post Epulas illis etiam Reginæ pulcritudinem obijcere, vt ibi legitur *cap.* 1. Illa renuit, & ad Regis imperium, quod ei per Eunucos mandauerat, accedere noluit. Rex ira valde commotus, & nimio furore succensus suorum voto Primatum, Reginam eiecit. Successit deinde loco Vasthi puella Virgo Ester, Hebræa genere, moribus decora, quæ Regis oculis maximè placuit, quoniam erat speciosa nimis. Posuit Tunc Rex in Capite illius Diadema Regni, fecitq; eam regnare loco Vasthi. Ester ob suam formositatem, & gratiam plura pro Populo Hebręo obtinuit à Rege; non solum suæ Gentis inimico Aman suspendium impetrauit, sed etiam suæ Nationi aduersarios cunctos ad necem concessum habuit destinari. Hoc vnum aduertendum accedit, quod cum Ester pro gratia consequenda ad Assuerum Regem transire deberet, præter Regis Decretum (quo pœna mortis nisi vocatum, neminem Regis conspectum comparere posse, statutum erat) ingressa Ester (quoniam Rex terribilis erat vultu) timore confracta, Regis faciem inspiciens corruit, & in pallorem colore mutato, lassa super Ancillulam reclinauit Caput. At Rex, (Deo volente,) in mansuetudinem versus, festinus, & metuens exiliuit de Solio, & sustentans eam in Vlnis suis, donec ad se rediret, his blandiebatur verbis. *Quid habes Ester? Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hac Lex constituta est. Accede igitur, & tange Sceptrum* (hoc signum erat Clementiæ Regis) *cum reticeret, tulit auream Virgam, & posuit super Collum eius, & osculatus est eam. Ibidem. c.* 5. Mariam Ester vocant Riccardus de Sancto Victo- Ibid. Ric. Vict.

Bonauen. Victore, in *Cant. c.* 42. Bonauentura, *Specul. lect.* 6. Ni-
Liranus. Hugo C. colaus de Lira, *lib. Ester, c.* 2.3. Hugo Cardinalis, in *Luc.*
Ber. Sen. *c.* 1. Bernardinus Senensis, *t.* 4. *Serm.* 3. *de Gloriof. Nom.*
Pet.de P. *Mar.* Petrus de Palude, de *Concept. Enarrat.* 2. Pelbartus
Pelbart. Ia.de Vo. de Themesuuar, *Stellar. lib.* 4. *p.* 1. *art.* 2. Iacobus de Vo-
Iac. de V. ragine, *Serm. Quadragesim. Sabat. Dom.* 4. *Serm.* 2. Iaco-
Io. Osor. bus de Valentia in *Psalm.*45. Ioannes Osorius, *t.* 3. *Serm.*
Io.Ba.Le. *de Visitat. B. Mariæ*, & alij multi idem deuotè asserunt.
Ester enim interpretatur Eleuata, Maria similitèr eleuata
interpretatur, vt optimè adhæret Ioannes Baptista Lezza-
na, *lib. Apologet. pro Concept. c.* 34. *Cum enim*, inquiens,
*Maria, quia est vera Ester Regina in Populis eleuata ac pro-
fectò eleuata super Choros Angelorum ad Cælestia Regna*.
Ester etiam interpretatur Præparata in tempore; Maria
pro tempore ab æterno fuit præparata ad Maternitatem
Filij Dei. Ester tandem interpratatur abscondita, Abscon-
dita fuit Virgo Maria; quantum ad Conceptum, *vt Par-*
Ignat. M. Hieron. *tus eius celaretur Diabolo*, inquit Ignatius Martyr ex Hie-
ronymo, *lib.* 1. *Coment. in cap.* 1. *Matth.* Ester eleuata fuit
ad salutem Hebræorum, vt Mardochæus auspicatus est,
dicens, *cap.* 4. *Quis nouit, vtrum idcircò ad Regnum vene-
ris, vt in tali tempore parareris.* Sic Deipara data est pro
fidelium Christianorum salute, vt canit Ecclesia *in Missa
Vigil. Assumpt.* & legitur in *Oratione, Quam idcircò præsenti
sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris, apud te fiducialitèr
intercedat.* Quod autem ex pulcritudine, & formositate
Ester Innocentiam Virginis argumentari possimus, clarum
habemus per hoc, quod quemadmodum Vasthi Regina
per inobedientiam fuit ab Assuero Rege repudiata, & eius
loco Ester assumpta, sic Eua per inobedientiam Diuino
Præcepto reiecta fuit, & Maria Virgo formosissima, eius
loco in Dei Regno Regina suffecta fuit. Per ipsam fi-
delis Populus cœlestibus est cumulatus muneribus, cum
Mariam Deus Cœlorum Reginam declarauerit. Non
poterat nostra humana Progenies Supremæ, Diuinæque
Maie-

Maiestatis comparere conspectui; Mors fuit cunctis decreta hominibus, pro quibus ipsa pijssima Mater ad Dominum accessit rogatura, sed timore concussa super Humilitatis Ancillulam Caput reclinauit Virginale. At Deus Omnipotens, sua gratia festinus occurrit, & Vlnis in suis misericordiæ infinitæ suscepit, ne caderet, inquiens, *Non morieris*, iaculo originalis culpæ, Sponsa mea, Soror mea; quoniam lex, quæ de originali peccato Adæ statuta est, pro omnibus ab Adam primo Parente descendentibus,& carnali propagatione progenitis facta est,non pro te,quam speciali exemptam priuilegio declaro. Hoc sit meæ Clementiæ signum, dum auream Virgam, (Crucem scilicèt sanctissimam,) in qua ipse sum mortem subiturus,in tuum Collum ostendo, & osculo infinitæ charitatis te osculor. Noli timere, inquit, ac si diceret. Propter subditos hæc Lex data est, tu verò mecum corregnas, *Non morieris, non pro te Lex constituta est*. Ante casum Assuerus Rex suscepit Ester Reginam, Antequam Mariæ in originalis culpę maculam caderet, Deus eam suscepit, & ob virtutem Sanctæ Crucis, quam ipsa Virgo; non passione, sed compassione, in collo portauit, ab Adæ labe fuit immunis, quoniam per merita Passionis Christi pręuisę, fuit Beatissima Virgo super alias Creaturas, speciali modo redempta, illam à peccato, quod incurrisset, originali, pręseruando. Hinc Propheta *Psalm.* 41. ait, *Adiuuabit eam Deus manè diluculo*. Hoc Bernardinus Senensis expressit, vbi supra, inquiens, *Cui ergo inniteretur, quæ ab æterno Rege Dei Filio substentatur. Ipsa mysticè est Ester, ad quā exilijt Rex de Solio, idest Filius de Cælo sustinēs illam in vlnis suis:* Et Iacobus Aluaretz, *de Inquis. Pac. lib. 3. p. 2. c. 5. medit. 3.* inquit, ad Mariam purissimam loquens, *Adiuuit te Deus manè diluculo, festinauit, vt in primo esse tuo, te gratia indumento circumdaret, quod peccato originali obsistit (quod priuatio gratiæ est) ne te, nec ad momentum macularet*. Et Stephanus Barradas, *t. 1. in Euang. de Concept. lib. 6. cap. 3. gem. 5.* inquit,

Psalmus. Ber. Sen. Iac. Alu. Barrad.

inquit, *Credendum est ergo Virginem non cecidisse in peccatum originale*, *vndè illud apud D. Bonauenturam* 3. *dist.* 3. *q.* 2. *Ex quorumdam sententia, alij post casum erecti sunt, Virgo, quasi in ipso casu sustentata est, ne caderet.* Hester 15. *cap. Rex Assuerus festinus exiliuit de Solio*, *& sustentauit* Hester *vlnis suis: eumdem in modum Summus Rex Deus, cum videret Virginem in peccatum, nisi succurreret, casuram, festinus occurrit, eamq; infusa gratia, sustentauit*, *Psalm.*45. *Adiuuabat eam Deus manè diluculo. Non est cunctatus Deus in auxilium Virginis, properauit manè diluculo; in ipsa Conceptione illam iuuat, ac, ne laberetur, potentissima dextera tenuit.*

Hieron. Si ad præceptum de Honora Parentes, Hieronymus inquit, Christum dilectissimum Filium suæ Matri dulcissimæ festinum occurrisse in Assumptione, dicens *ad Paulam*, *& Eustochium. Creditur enim, quod Saluator noster omnium ipse, quantum datur intelligi, festinus occurrit, & cum gaudio eam secum in Throno collocauit.* Quare ad idem præceptum seruandum festinus non occurrit in Conceptione Matris, illam à peccato originali præseruando? Ad Vir-

Isaias. ginem possumus verba Isaiæ *c.*41. referre, dicentis in persona Dei Patris, *Ne timeas, quia Ego tecum sum, ne dubites, quia Ego Deus tuus confortaui te, & auxiliatus sum tibi.*

Psalmus. Et alia à Dauide prolata, *Psalm.*40. pro Virgine ad Aeternum Patrem. *In hoc cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in aeternum, Benedictus Dominus Deus Israel.* Non est gauisus Diabolus super Virginem, immo tristatus, quia capite truncato, victus fuit; ipsa Virgine cum originali Iustitia persistente. Nam, vt Isaias ibidem dixit, *Confundantur, & erubescant omnes, qui pugnant aduersùm te, eruntq; quasi non sint, & peribunt, qui contradicunt tibi;* Sicut sunt Dęmones.

SECVN-

SECVNDA CHORDA VEL VIA,

Decem explanata Prophetis. Pronunciatio Prophetica.

PRophetiæ veritatem à Deo pendere, docet Scotus, Scotus.
vbi supra: quoniam ipse Dominus dumtaxat, vel alius ab eo instructus, & substitutus potest futura contingentia certitudinalitèr præuidere, & veraciter prædicere. Propterea à rebus infallibilitèr per ora Prophetarum enarratis, præcipuè de Christo Domino, vt Matthæus *c.* 11. Math.
ipse Dominus dixit, & alibi, & Sancti Patres docent, & prædicant, præsertim Gregorius Papa *hom. in p. Domin.* Greg. Pa.
Aduent. Futura credenda sunt. Libri Prophetarum hoc idem ostendunt consideranti. Hanc Chordam tangit Augustinus, *lib. de Ciuit. Dei, c.* 10. inquiens. *Quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit, ac cui totus Orbis, sicut ab ea veritate prædictum est, credidit, quæ vera se narras præterita ex his, quæ futura prænunciauit, cum tanta veritate implentur, ostendit.* De Virginis Generatione Bernardus, *Serm. in* 12. *cap. Apocalip.* hoc apertè sentit, sic, *Quod longè ante eisdem Patribus cælitùs repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod Oraculis prænunciata propheticis.* Immo Hieronymus in *Michea. c.* 7. de Maria, inquit, *Misit Mariam Vaticinium Prophetarum, & non solùm id nobis præstitit, sed de inimicorum quoq; manibus liberauit.* Non dubitamus igitur affirmare veritatem de Immaculata Conceptione Matris Dei fuisse præuisam, ac ore Prophetas prænunciassem, cum alia multa de eadem Beatissima Virgine prædixerint, completa sint; sicut ex Anselmo *de Excell. Gloriosf. Virg. Mar. cap.* 2. deducitur, qui sic ait, *Tacitis igitur illis ab initio omnis Creaturæ, vsq; ad Sanctum Dei Aduentum sunt de hac Virgine propalata, sicut tam per eos, qui ante Legem, quam & per eos, qui sub Lege iusti fuerunt. Illud conijcio apud me, Natiuitatem eius, quam quidem*

Margin notes: Auguft. (beside Augustinus), Bernard. (beside veritate), Hieron. (beside propheticis), Anselm. (beside prænunciassem)

ex

ex linea Generationis humanæ non nescio descendisse, magna quadam, atq; miranda diuinorum Signorum inditia percurrisse. Nec valebit dicere, de alia, non de Sanctissima Deipara Prophetarum verba esse intelligenda, ac exponenda; quoniam eodem Spiritu à Patribus Ortodoxis explicatur, quo condita est Scriptura Sacra, ex Scoto *Prolog. sent. qu. 2. l. B. & 4. sent. dist. 11. qu. 3. l. G.* Et licet Sacræ Scripturæ fiant à Patribus diuersæ Expositiones, Non auferunt tamen fundamentalem Scripturæ veritatem, cum quæcumque Scripturæ Expositio vera à Spiritu Sancto sit; Vnde Augustinus, *t. 1. lib. 12. Confess. cap. 31.* inquit, *Cum alius dixerit, Hoc sentis, quod ego, quod alius, immo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumq; potius, si vtrumq; sit? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omninò aliud verum quispiam in his verbis videat, certè non illa omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus Sacras Literas vera & diuersa visuris multorum sensibus temperauit*. Et Angelicus Thomas, *Quest. Disput. tit. de Potent. qu. 4. art. 1. in Conclus.* ait, *Vnde si etiam aliqua vera ab Expositoribus Sacræ Scripturæ aptentur, quæ Auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis Auctor Diuinæ Scripturæ. Vndè omnis veritas, quæ, salua Literæ circumstantia, potest Diuinæ Scripturæ aptari, est eius sensus*. Dum igitur Sancti Patres Prophetarum Oracula de Virgine Maria exponunt, de eadem Virgine Beatissima illos intellexisse, dicendum est, vt inferiùs ostendemus. Decem itaq; Prophetias adducemus, & exponemus, quibus Conceptio Immaculata Dei Genitricis aperietur, quibus Decem pariter Reuelationes, Virorum probatorum relatu, ad maiorem claritatem, & Mariæ Matris laudem addemus.

Scotus. Augus. Tho. Aq.

Iob. Prima Prophetia, alijs omissis, sit illa Iob, *c. 3.* dicentis, *Obtenebrentur Stellæ caligine eius, expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ*; Quibus verbis puritatem, & Innocentiam Virginis præmonstrare volebat à

Sanctos Stellas esse, inquit Beda, *Serm.* 18. *de Sanct.* Quæ Stellę caligine peccati, saltem originalis, omnes sunt obtenebratæ; quia omnes declinauerunt, & ad minus primi labe Parentis maculati sunt. Christus Iesus, Lux vera est, quæ *illuminat omnem hominem*, quique de se ipso dixit, *Ioan. c.* 8. *Ego sum lux Mundi*; Maria Sanctissima Aurora est, de qua Salomon inquit, *Cant. c. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens*, sic eam vocant omnes ferè Patres, Christus solummodo, vt Lux vera, & Maria vt Aurora non fuerunt caligine peccati originalis obtenebrati, Christus per naturam, Maria verò per gratiam, & dependenter à Filio præseruante. Quod de Christo Iesu, & Maria Matre prædicta verba intelligantur, asserit Angelicus Doctor, 3. *p. qu.* 27. *art.* 2. sic pariter Bonauentura in *Specul. lect.* 11. & Pelbartus, *Stellar. lib.* 4. *p.* 1. *art.* 3. sic similiter Antoninus Florentinus, *p.* 1. *Sum. tit.* 8. *c.* 2. Angelici verba hæc sunt, *Iob, de nocte peccati originalis dicitur, expectet Lucem, idest Christum, & non videat, quia nihil inquinatum incurrit in illam, vt dicitur Sapient.* 7. *Nec ortum surgentis Auroræ, idest Beatæ Virginis, quæ in suo ortu, à peccato originali fuit immunis.* Et profectò. Quomodo maculis peccatorum obscurabitur Christus, si est Lux increata, & essentialis? Quomodo tenebris iniquitatum Maria afficietur, si est Aurora Solem concipiens, & Mundo pariens, quæ in suo ortu ad vitam, quando Anima Corpori iungebatur, ab omni macula fuit immunis? Per vocem immunis, hoc voluit intelligere Angelicus. Hoc Petrus Damianus, *Serm. de Assumpt. B. Mariæ Virginis*, prædicat, dicens, *Hæc est Aurora, quam sequitur Sol, immo de qua nascitur Sol Iustitiæ, solius Solis claritati succumbens: Hæc est Aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime, & orat Iob, vt multa suppressione claudatur, dicens, non videat ortum surgentis Auroræ.* Et Hugo de S. Victore, *Serm.* 34. ait, *Beata Virgo Maria Aurora fuit, quia & præcedentis temporis, quod quasi nox, fuerat, finis extitit, & vera Lucis*

Beda. Ioannes. Tho. Aq. Bonauen. Pelbart. Antonin. Pet. Dam. Hugo V.

gratiæ, Solisq; Iustitiæ, qui ex ipsa progenitus est, præuentrix, & antelucanum sidus fuit. Neq; dicendum est, quod intelligatur de *ortu*, idest de Natiuitate Virginis ex Vtero Matris Annæ. Primò, quia non fuisset singularis cum luce immunitatis, nec fuissent vera verba Iob, quia iam Diabolus vidisset obtenebratam Auroram ex peccato contracto in Vtero Matris. Secundò, quia tunc in hoc Ioannes Baptista æqualis fuisset Virgini, quoniam ipse de Vtero Matris Elisabeth, & sine culpa exiuit, propter quod eius Natiuitas in Ecclesia celebratur. Nihilominus ipse cum cęteris Sanctis, quamuis Stellæ sint primæ magnitudinis, meritorum, & gratiæ, fuit peccati originalis caligine obtenebratus. Intelligitur ergo de ortu ad vitam rationalem, & humanam in vtero materno, qui consistit in vnione Animæ ad Corpus perfectè organizatum. In illo, inquam, instanti, Beata Virgo fuit præseruata à tenebrarum obscuritate, & caligine culpæ originalis, & sic nequiuit Satan illam videre obtenebratam, quia Aurora est. Et merito, quoniam est Aurea hora ob splendorem maximæ charitatis, & dat Rorem, quia peperit nobis

Isaias. Christum Iesum, de quo, Isaias *cap*. 45. dixit, *Rorate Cæli*

Ecclesia. *desuper, & nubes pluant Iustum*. Et in Ecclesia canitur, *Descendi in Vterum Virginis, sicut imber super gramen*. Aurora vtique quoniam terminauit culpæ noctem, Euæ inobedientia diffusam, ac per Filij splendorem excussam, & diem gratiæ incohauit, vt rationabilitèr Archangelus Gabriel in Mariæ salutatione dixit, *Aue gratia plena*. Concludamus veritatem nostræ Auroræ cum Sum. Pontifice

In. P. III. Innocentio III. *Ser. de Assumpt. B. Virg.* sic Dei Genitricem alloquente, *Quia per te Populus Gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit Lucem magnam, &c. Tu es igitur Aurora consurgens, finis videlicèt noctis, & origo diei; finis damna-*

Lansper. *tionis, & origo salutis*. Et dicamus cum Lanspergio, *Theoria 6. Qui fabricatus est Auroram, & Solem, te multo pulcriorem fabricauit suam Matrem*.

Secunda

Secunda Prophetia ſit illa Dauidis, *Pſalm.* 100. dicentis, *Pſallam, & intelligam in via immaculata, quando, venies ad me.* Et inferiùs, *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Mariam Virginem vocat Viam Bernardus, *Serm. 3. de Aduent. Dom.* & Angelicus Doctor, *3. p. qu. 27. art. 3.* inquiens, *Ecce gloria Domini ingrediebatur per Viam Orientalem, ſcilicet B. Virginem.* Poterat enim tunc dicere Dei Filius, quando in Incarnatione, per Mariam, ad nos venit, & in ea ſtetit, *In via peccatorum non ſteti, Pſalm.* 1. quia ante præuiſionem peccati Maria fuit electa immaculata, tanquam Mater Aeterni Verbi futura. Dei ſemper eſt impolluta Via eius, ſic Dauid, *Pſalm.* 37. cecinit, *Deus meus impolluta Via eius*; & 2. *Reg. c.* 22. *Deus meus immaculata Via eius.* Prophetico Salomonis ore, *Prouerb. c.*8. B.Virgo hoc oſtendere voluit, quando dixit, *Nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram.* Franciſcus Maironus, *Serm. de creat. Animæ Virgin.* inquit, *Nondum erant Abyſſi, ideſt antequam Dæmones eſſent ad damnationem deputati, vel præſciti.* Abyſſus peccatum ſignificat, ſic Archidiaconus ſentit, *Diſt.* 37. *c. Nonnè*, Abyſſus namq; dicitur ab *A*, & *Byſſus*, ideſt, *candor*, & ſonat, *ſine candore*, videlicèt gratiæ. Et Alenſis citatus à Gotſco Holeno, *Serm. de Concept.* vt ex Ioanne Euſebio Nierembergio, *Sacroſillab.* §.7. ait, *Nondum erant Abyſſi, &c. ideſt, profunditates originalis peccati, & ego iam concepta eram. Nam Abyſſus dicitur ab A, quod eſt ſine, & Byſſus, quod eſt quoddam luminoſum, ſubtile, & candidum factum textrico opere, quorum contraria ſunt in peccato originali, quod eſt tenebroſum per priuationem lucis gratiæ, & groſſum per damnum perpetuum, & turpe per carentiam dilectionis Diuinæ.* Certè peccatum eſt ſine candore, quia eſt cum nigredine culpæ. De hoc dixit Propheta, *Pſalm.* 41. *Abyſſus Abyſſum inuocat*, quoniam, vt ait Gregorius, *lib.* 17. *Moral. c.* 12. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.* Fuit Via Beatiſſima Virgo, ac etiam fuit in Via;

[Margin: Pſalmus. Bernard. Tho.Aq. Pſalmus. Pſalmus. 2. Reg. Prouerb. Mairon. Archid. Alenſis. Gotſcus. Nieremb. Pſalmus. Gregor.]

non in Via peccatorum, & cum Propheta dicere poterat, Psalmus. *Psalm.* 1. *In via peccatorum non steti*, sed *Viam mandatorum cucurri*, *Psalm.* 118. Quia in Lege Domini voluntas eius, Psalmus. & in Lege eius meditabatur die, ac nocte. *Psalm.* 1. Cuiusnam Creaturæ, quamuis perfectæ, volnntas ita in Lege Domini fuit, (eius obediendo mandatis) quam Virginis Mariæ Voluntas, quæ obedientissima fuit Diuinæ Legi? August. Hoc tangit Augustinus, *Serm.* 2. *de Annunciat. Dom.* Loquendo de Eua, & Maria, quando inquit, *Pro inobedientia enim obedientia commutatur*. Et meditabatur die, ac Ambrós. nocte: Quoniam, vt scribit Ambrosius, *lib.* 2. *de Virginib.* loquendo de Dei Genitrice Maria, *Tamen, cum quiesceret corpus, euigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, Cantic. aut gerenda pronunciat.* Hoc Salomon præuidit in *Canc.c.*5. aitque, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ verba per- Anselm. pendens Anselmus, *Enarrat. in Cant. c.* 5. ait, *Ego, idest in tranquillitate mea me contuli dormiens, & cessans à sollicitudinibus Mundi, & cor meum vigilat, idest ratio mea Deo intenta sola Cœlestia contemplatur.* Immo in Sacro Matris Annæ Vtero existens mente operabatur. Hoc profert Ber. Sen. Bernardinus Senensis, *t.* 4. *Serm. Concept.* 4. *art.* 1. *c.* 2. inquiens, *Et licet in Vtero Matris suæ, sicut, & cęterę Infantes, dormiret, attamen somnus, qui sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo, quod talia in ipsa fuerat operatus. Vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vnquam aliquis alius, dum vigilauerit.* Verè igitur Beata, Verè Immaculata colenda est, & sola sine peccato originali ab omnibus Christi fidelibus prædicanda, quoniam sic eam Filius suus præpura- August. uit, vt Augustinus ait, *Orat. de* 5. *Hæresib. de Christo Domino ad Manichæum. Ego Matrem, de qua nascerer, feci; Ego Viam itineri meo præparaui, atq; mundaui,* Hoc est à labe, quam debebat incurrere, originali.

Paralip. Tertia Prophetia sit illa, quæ habetur. 1. *Paralipom.* c. 29.

c.29. vbi Rex Dauid, (loquendo de Templo, quod Salomon eius filius construere Domino debebat) Populo Israelitico hæc verba dixit, *Opus namq; grande est, neq; enim homini præparatur Habitatio, sed Deo*; Tunc omnes lætantèr, pęcunias, metalla, lapides, & ligna promiserunt, tribuerunt. Quæ verba Regis Dauidis propheticè ad Virginem sunt referenda; Quoniam, vt inquit Germanus Constantinopolitanus, *Orat. in Natiuit. Virg. Maria Sacratissima est Templum Sanctum*, Cyrillus Alexandrinus, *t.* 5. *Encom. in Mariam*, ait, *Salue Maria Templum, in quo Deus suscipitur*, Andreas Cretensis in *Salutat. Angel.* dicit, *Salue Magnificum Diuinæ Gloriæ Templum*, sic Cyprianus, *lib. de Cardinal. operib. Christ.* Bonauentura in *Laudismo B. Virg. Mariæ*, & alij vocant Deiparam Mariam Templum Dei; Et vtiq; grande, Templum magnum valdè, quoniam meritorum excellentia omnes superat Sanctos. Maxima igitur præparatio necessaria fuit, sanctitas videlicèt præcipua, singularis, quia Domini habitatio est. Hoc *Psal.* 92. præuidit iterum Dauid, quando dixit, *Domum tuam Domine decet sanctitudo*, sic sentit Bonauentura, vbi supra. Non est Domus Adæ, vel Abrahæ, vel Dauid, sed Verbi Dei, Filij Dei, ideo impensæ maximæ omnium Creaturarum requiruntur, omnes, inquam, perfectiones, virtutes, & dotes fuerunt in Maria. Ob id idem Seraphicus in *Specul. Virginis*, hoc contemplans, inquit, *Diuinum quoddam opus efformandum accepit, cum Matrem Virginem, scilicet Mariam Deus condidit*. Ergo, si in aliqua Creatura fuit originalis Iustitia, in Maria reperiri dicendum est. Hoc Franciscana Religio canit in Conceptionis Officio, *Domus, quam ædificari volo, talis esse debet, vt in cunctis nationibus nominetur, & ob hanc causam, ante Mortem suam omnes præparauit impensas*; Et inferiùs. *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa*. Hoc certè Salomon propheticè expressit, *Prouerb. c.* 31. dicens, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu*

Ger.Con.
Cyril.Al.
And.Cre.
Cyprian.
Bonauen.
Psalmus.
Bonau.
Off. Min.

super-

Bonauen. *supergressa es vniuersas*. Quæ verba aduertens Bonauentura, vbi supra, *lect.* 13. inquit, *Supergressa certè es in natura, supergressa es in gratia, supergressa es in gloria, vniuersas Filias, vniuersas Animas, vniuersas Intelligentias Angelicas, ò Maria*. Multæ Sacratæ Virgines,& multæ Animæ Sanctæ diuitias virtutum, & gratiarum, diuitias meritorum, & præmiorum congregauerunt sibi, sed Sanctissima Virgo Maria quibuslibet diuitijs, vniuersas excellentissi-

Sophron. mè superauit. Hoc sentit Sophronius, vel Hieronymus, *Serm. de Assumpt. Virginis*, dicens, *Dei Genitricem, si diligenter inspicias, nihil est virtutis, nihil est speciositatis, nihil est candoris, gloriaq; quod in ea non resplendeat*. Vnde ra-

Ecclesiast. tionabilitèr cum Ecclesiastico, *cap.*24. affirmare valemus, *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. Ergo Adæ, Euæq; diuitias, quamuis deperditas, & Angelorum, scilicet

Alensis. Iustitiam originalem, habuit. Et Alensis in *Apocalip.c.*15. vocat Mariam, Templum Christi, sic, *Fuit Templum diligentèr conseruatum tutela Trinitatis, fuit venerabilitèr sublimatũ in dextera Maiestatis. De isto Tabernaculo ad Hebr.c.*9. *Christus Assistens Pontifex, &c.* Quis dicet, tot impensis, Regis Gloriæ Templum, Domum, & Palatium Filij Dei constructum, priùs à Principe tenebrarum inhabitatum, illudq; priùs fuisse deturpatum sordibus originalis peccati? Nemo certè; Quoniam *Templum Domini Sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est*. Hoc contemplatur Cy-

Cyril.Al. rillus Alexandrinus, *hom. contra Nestorium*, *Quis vnquam ait, de Architecto audiuit, qui suum ipsius Templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit*? Quod tunc proculdubio fuisset, si B. Virgo peccatum originale vnquam contraxisset.

Prouerb. Quarta Prophetia est Salomonis, *Prouerbior. c.* 8. vbi habetur, *Dominus possedit me, in initio Viarum suarum*. Quibus verbis ostenditur, quando, & quomodo B.Virgo in Exordio, & in instanti suæ Conceptionis à Domino fuerit ab originali culpa præseruata. Sic affirmat Ferdi-

nandus

nandus de Peralta,*Lib. Conc. Serm.2. de Concept.* in eadem verba, *Dominus possedit me,&c.* inquiens, *Qua verba,cum Ecclesia cantet de Virgine, procul dubio sentire videtur, quod sine originali concepta fuerit.* Deus non suscipit,neq; possidet inquinatum, vel maculatum; immo maculatum respuebat Sacrificium;immundum Animal immolari non poterat. *Leuit.c.* 27. Neque quis immundum poterat manducare. *Deuteron.c.* 14. Volebatq; Deus quod potius combureretur, quam manducaretur. Non sine ratione Petrus Domino dixit, dum linteum Animalibus immundis plenum vidit, *Act. c.* 10. *Commune, & immundum non commedi.* Neq; immundum tangere fas erat; Qui enim tangebat immundum, reus reputabatur, sic *Leuitic. cap.* 7. *Anima quæ tetigerit immundum, rea erit, & deliquit.* Et Isaias *c.* 52. clamat dicens, *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Quod pollutum, & immundum significet peccatum, deducitur ex Patribus, sed præcipuè ex Magistro Sentent. *lib.* 4. *dist.* 18. & tangitur à Scoto in *eodem* 4. *dist.* 14. *qu.*1. *l. B.* Quomodo igitur Deus Mariam Virginem suscepisset, possedisset, si eius Conceptio maculata, pollutaq; fuisset? Ideò possedit eam in initio Viarum suarum, idest in prima Via, scilicet in misericordia. In misericordia, inquam, quæ prima est, dicente Propheta, *Psalm.* 24. *Vniuersæ Viæ Domini, Misericordia, & Veritas.* Duæ sunt Domini Viæ, Misericordia, & Iustitia. In Misericordia suscepit eam, quoniam Misericordia fuit, gratia fuit, speciale priuilegium fuit,vt munda in suæ Conceptionis instanti fuerit, innocens, tota pulcra, impolluta, & immaculata, & sic totam eam possedit Deus, & quoad corpus, & quoad Animam,vt Idelphonsus, *lib. cont. eos, qui disputant de Virginit. & Partu-rit. B. Mariæ*, inquit, *Totum quidquid in Maria fuit, possidet Spiritus Sanctus.* Illam enim tetigit, suscepit, & amplexatus est, Pater Aeternus in Filiam,Filius in Matrem, Spiritus Sanctus in Sponsam,sic ore prophetico Salomon

Ferd.Per. Leuitic. Deuter. Act. Leuitic. Isaias. Mag.Sent. Scotus. Psalmus. Idelph.

in

Cantic. in *Cant. c.* 2. & 8. in perſona Virginis dixit, *Leua eius ſub*
Pſalmus. *Capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Et *Pſal.* 72. Dauid protulit, *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Pater Virginem Filiam amplexatus potentia, Filius Matrem ſapientia, Spiritus Sanctus Sponſam bonitate, ab æterno illam eligendo. Propterea dicere nemo audebit illam à Dæmone deuictam, à Serpente dentibus vulneratam, ſauciatam, venenatam fuiſſe, & iure hoc ipſa lætabatur Priuilegio, in ſuo Cantico pſallens, *Fecit potentiam*
Lucæ. *in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente Cordis ſui, Luc. c.* 1. ideſt Dæmones, qui iure, antonomaſticè ſuperbi appellantur. Ex hoc igitur concludimus Sanctam Dei Genitricem Mariam minimè culpam originalem contraxiſſe,
A Lap. quod expreſsè declamat Cornelius à Lapide in *Prouerb. c.* 8. *p.* 3. vbi dicit, *B. Virgo in ipſo initio Viarum ſuarum, ipſo momento Conceptionis Vitæ à Deo ſolo poſſeſſa fuit tan-*
Bart. Piſ. *quam hæreditas ampliſſima*. Et Bartholomæus Piſanus, *lib. de Vita, & Laudib. B. Mariæ*, inquit, *Dominus Mariam ab initio Viarum poſſedit, ergo nullum peccatum originale habuit*.

Quinta Prophetia, ſit eiuſdem Salomonis, *cap.* 1. *in*
Cantic. *Cant.* dicentis, *Si ignoras te, ò pulcherrima inter Mulieres. Ecce tu pulcra es, amica mea, Ecce tu pulcra es, cap.* 2. *Amica mea, ſpecioſa mea, Columba mea. cap.* 4. *Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es; & cap.* 7. *Quam pulcra es, & quam decora chariſſima in delicijs*. Non ſine miſterio, tot vocibus, tot vicibus Propheta pulcritudinem puritatem, innocentiamq; Virginis Sponſæ enarrare voluit, poſitiua, comparatiua, & ſuperlatiua locutione; Pulcra, Quam pulcra, Pulcherrima, quibus eius omnimodam innocentiam prætendit. Tota pulcra, quia immaculata fuit quoad Animam, & quoad Corpus, & ſine peccati originalis macula,
Idiota. mortalis, ac venialis, hinc inquit Doctiſſimus Idiota, in *Contempl. Deiparæ cap.* 2. *Tota pulcra es, Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſiue mortalis, ſiue*

venia-

venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit. Et Dionysius Carthusianus *lib.* 1. *de Laub. Virginis, art.* 34. dicit, *Tota pulcra dicitur, idest Corpore, & Anima, alioquin non esset tota. Nam si pulcritudini Animi, Corporis venustas deesset, illius splendor obtunderetur. A planta pedis, vsque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, nec in Corpore, neq; in Anima, indecens, reprehensibile, indecorum.* Hoc idem ait Riccardus de. S. Victore in eodem loco, *Cantic. c.* 26. *Tota pulcra dicitur, quia pulcra facie fuit, pulcra mente, & corpore. Nemo profectò tam Sanctus fuit, qui maculam non habuerit, vel defectum, præter Mariam: Tota enim pulcra fuit, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Bene ergo concluditur, quod canunt Minores, *Tota pulcra es Maria, & macula originalis non est in te.* Quapropter Bonauentura, *Serm.* 1. *de B. Virgine*, intelligendo de Stella, quæ duxit Magos, ait, *Quia Domina nostra tota ad modum illius Stellæ, fuit purissima, omni carens penitus macula, tam in Corpore, quam in Anima, Vnde ipsi soli conuenit illud Cantic.* 4. *Tota pulcra es Amica mea, & macula non est in te.* Et in 1. *Sent. dist.* 44. *in Text.* ait, *Quantum ad gratiam iustificationis, tantam habuit, quantam pura creatura humana, siue rationalis, quæ facta est, sic recipere potuit.* Ergo gratiam Angelorum habuit. Alitèr enim pulcherrima inter Mulieres non diceretur, cum Eua in suæ formationis exordio pulcrior extitisset Maria Virgine; quia illa (vt dictum est) creata fuit sine peccato originali; Quod minimè credendum est; Cum Eua oppositum sit Mariæ, quod Angelus in Salutatione ostendere voluit, prima voce, *Aue*, quod affirmat Augustinus *Serm.* 2. *de Anunciat.* inquiens, *Auctrix peccati Eua; Auctrix meriti Maria; Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit; Illa percussit, ista sanauit, pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.* Concludamus ergo Mariam Virginem peccatum originale non contraxisse, quod intẽdebat Hugo de S. Victore, quãdo in

Dio Car. Ric. Vict. Off. Min. Bonauen. August. Hugo V.

Cantic. c. 1. dixit, *Totus pulcher, totam pulcram sibi sociat. Tota pulcra es Amica mea. Ego totus pulcher, quia totum, quod pulcrum est, in me est; tu tota pulcra, quia nihil, quod turpe est, in te est.*

Ecclesiast. Sexta Prophetia sit Ecclesiastici, *c.* 2. vbi propheticè pro Virgine immaculata sic loquitur, *In me gratia omnis Viæ, & Veritatis, in me spes Vitæ, & Virtutis*; Ex quibus verbis clarissimè patet Mariam Virginem eadem gratia gaudere, quam Christus habuit, hac sola differentia,

Alber. M. dicit Albertus Magnus, in *Missus est, cap.* 63. Quia gratia Christi non est mensurata, sicut gratia Mariæ. Probat nostrum assertum ipse Dominus Iesus, qui Via, Veritas, & Vita est, & Patris Aeterni Virtus, sicut ore proprio

Ioannes. dixit *Ioann. c.* 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita*. Et Paulus

1. Corint. 1. *Corinth. c.* 1. ait, *Christum Dei Veritatem, Dei Sapientiam*, igitur in Maria fuit omnis gratia, quæ fuit in Christo. In Christo fuit immunitas à peccato originali, ergo eadem

Athanas. immunitas fuit in Maria. Athanasius, *t.* 3. *Serm. de S. Deipara*, hoc intendit, dum ait. *Atq; idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti, omnibus*

Alber. M. *gratijs abundaret*. Et Albertus Magnus, vbi supra *cap.* 60. ait, *Nulla alia Creatura plena est gratia susceptiuè, præter Beatam Virginem, quæ sola tantam recepit, quod pura Crea-*

Bonauen. *tura plus recipere non poterit*. Addit Bonauentura in *Specul. lect.* 7. de Virgine, his verbis, *Gratia plena, hoc est inun-*

Hierem. *datione gratiarum*. Et Hieronymus exponens verba Angeli, dixit *t.* 9. *Serm. de Assumpt. Gloriosf. Dei Genit. Benè plena, quia cæteris per partes gratia præstatur, Maria tota se infudit gratiæ plenitudo.* A Filio enim suo hanc obtinuit ple-

Ioannes. nitudinem. Christus in *Ioann. c.* 1. appellatur, *Plenus gra-*

Lucas. *tia*, Maria ab Angelo dicitur, *Gratia plena*, *Luc. cap.* 1.

Hieron. Sed cum maxima differentia; sic Hieronymus replicat ad Eustochium, *In Maria verò*, inquiens, *totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter*; Quoniam Christus per naturam, & ex se, Maria verò à Filio, & ex

Priui-

Priuilegio, illam habuit plenitudinem. Hinc accuratè dixit HIeronymus de Christo, *Est*: & de Maria, *Venit*. *Est*, ex se: *Venit*, ab alio. *Est*, ab intrinseco: *Venit*, ab extrinseco: *Est*, per naturam, *Venit*, ex priuilegio sui Filij. Et Bonauentura, 1. *Sent. dist.* 44. *in text.* dicit, vt Albertus, quod Beata Virgo tantam habuit gratiam, & bonitatem, quod nulla Mulier ampliùs capere potuit; & sequitur, *Quantùm ad gratiam Iustificationis, tantam habuit, quantam pura creatura humana, siue rationalis, quæ facta est, sic recipere potuit*. Et idem in *Specul Virg. lect.* 5. vocat gratiam Mariæ immensam, his verbis. *Consideremus gratiæ Mariæ immensitatem, propter hanc dicta est, gratia plena*; Ex Epiphanio forsan accepit, qui idem profert, *lib. de Laudib. Virgin.* Probat hoc Bonauentura ibidem, sic, *Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente? &c. Quis immensitatem Mariæ poterit mensurare?* Tandem concludit Mariæ gratiam esse immensissimam. Rationabilitèr ergo Doctor Angelicus 3. *p. qu.* 27. *art.* 5. *ad prim.* inquit, *Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima Auctori gratiæ*. Hæc gratiæ magnitudo affatu impossibilis est, inquit, Anselmus, *lib. de Excell. Virginis c.* 8. his verbis, *Quid ampliùs dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fælicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit*. De hac eius plenitudine omnes accepimus, sicut de plenitudine Christi habetur, *Ioann. c.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Audiamus in hoc Patauinum Antonium, *Dom.* 4. *Aduen.* qui appellans Beatissimam Virginem, Vallem, ait, *Quia Vallis, ideò fuit plena, & de plenitudine eius omnes accepimus*; Sed diuerso modo, vt Bernardinus Senensis, *t.* 4. *Serm.* 3. *de Glorioso Nom. Mar.* Ex Hieronymo, *Serm. de Assumpt. B. Mar.* dicit, *In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in Capite influente, in Maria verò sicut in collo transfundente.* Forsan hoc sentiebat Germanus Constantinopolitanus, *Serm. de Zona Virginis*, quando ad

Bonau. Idem. Epiphan. Bonauen. Tho. Aq. Anselm. Ioannes. Ber. Sen. Hieron. German.

Virginem dixit, *Nullus est, qui saluus fiat, nisi per te Virgo Sanctissima, Nemo cui donum concedatur, nisi per te Virgo castissima; Nemo cui gratia conferatur, nisi per te, Virgo*
Hugo V. *prudentissima.* Hanc gratiarum affluentiam Hugo de S. Victore, sic expressit, paucis verbis, *Collat.* 3. *Gratia plena, in tantum plena, vt ex tuo redundante totus hauriat Mundus.* Concluditur ergo quod sicut in Virgine est omnis gratia Viæ, Veritatis, Vitæ, & Virtutis, quod etiam ipsa, mediante Filio, qui est vera Vita, &c. sit gratia, & Innocentia originali super omnes creaturas decorata, & exaltata.

Isaias. Septima Prophetia sit Isaiæ *cap.* 30. dicentis, *Erit Lux Lunæ, sicut Lux Solis, & Lux Solis erit septemplicitèr, sicut Sol septem dierum, in die, qua alligauerit Dominus Vulnus Populi sui, & percussuram Populi eius sanauerit.* Quæ Prophetia idem, quod superior ostendit; At quod intelligatur de Sanctissima Virgine, patebit; Quoniam, vt dicit
Mairon. Franciscus Maironus, *Ser. de Creat. Animæ Virgin.* per Lunam puritas, & Innocentia Virginis ostenditur. Christum vocari Solem, plures Patres docent, sed præcipuè
Greg. Pa. Gregorius Papa, *hom.* 29. *in Marc. c.* 16. de quò etiam
Ecclesia. canit Ecclesia, *Ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster;* Et quidem Sol est, quoniam solus, & singularis est in omnibus operibus suis. Maria verò Luna appellatur, Luna, inquam, quia Vna, vnica, & singularis. *Haud enim*
Beda. *primam similem visa est, nec habere sequentem*, ait Beda,
Cantic. *lib.* 4. *c.* 49. *in Luc. c.* 11: Hoc idem expressit Salomon,
Psalmus. Cantic. *Cantic. c.* 6. inquiens, *Vnica est Columba mea.* Et Dauid,
Iob. *Psalm.* 21. prædixit, *Erue à framea Deus Animam meam, &*
Psalmus. *de manu canis vnicam meam.* Pulcritudine Luna est Maria, sic ibidem Salomon, *Pulcra vt Luna*, ait. Luna semper est clara, de qua Iob, *cap.* 3. dixit, *Vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* Et Dauid *Psalm.* 88. *Sicut Luna perfecta in æternum.* Et rationabilitèr, quoniam quemadmodum Luna humorum est causa, sic etiam Beatissima Virgo est omnium gratiarum Ministra. Ipsa enim à Sole

inde-

indeficiente Iesu suo dilectissimo Filio, omnium bonorum datore suscipit Cœlestia dona, sicut à Sole Luna recipit splendorem mutuatum. Hoc Muronus explicat vbi supra, dicens, *Lux Solis designat Animam Christi, Lux quoq; Lunæ Animam Virginis, quia ita immediatè illuminatur ab Anima Christi.* Luna perfectissima, quia, nunquam, (quãuis non propria virtute, sed sui Filij potentia) neque per momentum, & minimum instans, tenebris, & caligine fuit maculæ originalis obtenebrata. Ideò vocatur Luna plena ab Ecclesiastico *cap. 50.* dicente, *Quasi Luna plena in diebus suis*, cui Gabriel in Salutatione conformatur, dicendo, *Aue Gratia plena, Luc. c. 1.* Gratia plena, super omnes plena. Audiamus Bernardum in *Deprecat. ad Virginem*, qui sic ait, *Tu pulcra, vt Luna diceris, eique non immeritò compararis: Illa enim omnium Astrorum sola Soli simillima comparatione, & candore venusta argenteo, cęteris in Cælo præeminens syderibus: Tu verò Solis imago expressione, inter millia Astrorum Deo assistentium virginali puritate in Cælo gloriosa præfulges. Tu ergo pulcra es, vt Luna, immò & pulcrior Luna, quia tota pulcra es, & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio.* Et ideo certè dicitur, *Erit Lux Lunæ, sicut Lux Solis*; Quoniam Innocentia, & puritas Mariæ Virginis est sicut Innocentia Christi Iesu, sed cum aliqua, & magna differentia, quæ ostenditur per sequentia verba, scilicet, *Lux Solis erit semptempliciter*; Innocentia enim Christi in excessu, Virginis superat puritatem, Cum Christus independentèr, ex se, & per naturam mundissimus, Purissimus, Innocentissimus fuit, Maria verò dependenter à Deo suo dilectissimo Filio, & ex gratioso Priuilegio. Conuenientiam Puritatis vtriusque explicat Salomon *Cantic. c. 1. Ecce tu pulcra es Amica mea*, dicit Christus ad Matrem, & Mater ad Filium, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, Lectulus noster floridus*, Conceptio nostra innocens communis est. Differentia autem comprobatur à Paulo 1. *Corinth. c. 15.* dicente,

Muron. Ecclesiast. Bernard. Cantic. 1. Corint.

Alia

Alia est claritas Lunæ, & alia claritas Solis. Cōcluditur ergo Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem, dependere à Christo Domino, qui est omnis puritatis, bonitatis, & Innocentiæ origo, & fons plenissimus, à quo cuncta bona nobis misericorditer procedunt.

Isajas. Octaua Prophetia sit eiusdem Isaiæ *cap.* 43. dicentis, *Si transieris per Aquas, tecum er, & flumimina non operient te; cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Saluator tuus.* Quod Aqua peccatum significet, habetur in pluribus Sacræ Scripturæ locis, sed præcipuè (vt di-

Psalmus. ctum est) supra Chorda prima; Figura quarta.) *Psalm.* 68. vbi legitur, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt Aquæ vsque ad Animam meam;* Sic etiam flumina, quæ non potuerunt Mariæ charitatem, & puritatem extinguere, quoniam cum ipsa erat ab instanti suæ Conceptionis. Hoc

Lucas. innuit Angelus Mariæ dicens, *Dominus tecum*, *Luc. c.* 1.

Off. Min. Quapropter à Franciscanis in Officio canitur, *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina peccatorum obruent Mariam.* Ex Salomone hæc deducuntur verba,

Cantic. *Cantic. c.* 8. & pro Innocentia Virginis declarata. Idem

Psalmus. propheticè Dauid *Psalm.* 17. inquit, *Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de Aquis multis.* Quod ignis si-

Glos. Or. militèr peccatum significet, habetur in Glossa Ordinaria, in *cap.* 3. *Zachar.* his verbis, *Peccatum est ignis.* At, quod per ignem specialitèr intelligatur peccatum originale, de-

Ioel. ducitur ex Ioele Propheta *cap.* 1. vbi habetur, *Ignis comedit speciosam Deserti, & flamma vorauit omnia ligna Regionis.* Peccatum namque originale comedit, deuorauitque pretiosas Animas à Deo creatas, & si non eas consumpsit, hoc fuit ex maxima Dei misericordia; sic prædicauit Hie-

Thren. remias, *Thren. c.* 3. dicens, *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Nonnè Animæ Abel, Noe, Abrahæ speciosæ erant? Nonnè Anima Dauid, de quo dictum est,

Act. *Act. c.* 17. *Inueni Dauid filium Iesse, Virum secundum cor*

meum?

meum? Et Animæ omnium electorum, tam veteris, quam noui Testamenti, & præsertim Apostolorum Animæ, quorum Pedes appellantur speciosi, *Roman. cap.* 10. *Quam speciosi Pedes euangelizantium Pacem*, non erant speciosæ apud Deum? Attamen fuerunt peccati originalis igne combustæ. Et flamma vorauit omnia ligna Regionis, quoniam cuiuscumque Populi, tam Gentilis, quam Hebræi, Flamma, de qua loquitur Ecclesiastes *c.* 8. *Flamma ignis peccatorum*, scilicet originalis culpæ Animas, tanquam ligna vorauit; Sola Virgo Maria excepta, quæ, ob Filium dulcissimum (quem ex natura peccati flamma tangere non poterat) à peccati originalis incendio libera, & immunis fuit. Et quamuis ob naturalem generationem, tempore formationis fœtus, per flammas ambulauerit, scilicèt per carnem iam peccato originali adustam, idest de Patre, & Matre, qui huiusmodi igne etiam fuerint combusti; Nihilominùs Deus suus, Filius suus, (qui præcipuè ob Matrem hoc nomen Saluatoris assumpsit) illam præseruauit. Hoc sentit Bernardinus Senensis *t.* 4. *Serm.* 6. *de Concept. art.* 3. dum vocat Virginem Beatam, *Primogenitam Redemptoris, & plus pro ipsa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura*. Quod apertè deducitur ex eo, quod dixit, *Saluator tuus*. Profectò Saluator Virginis. Hinc aduertendum est, quod, quamuis Christus sit omnium Saluator, præcipuus tamen est Saluator Virginis, quia præcipuo, & singulari modo, eam præseruando, redemit, & saluauit. Hoc Salomon propheticè ostendit, quando dixit, *Cant.* 8. *c. Quæ est ista quæ ascendit de Deserto innixa super Dilectum suum*? De Deserto Mundo huius, peccati originalis iam flamma combusto Maria ascendit immunis. Mirum profectò est. Quod meditatus est Summus Pontifex Sixtus IV. in Bulla, *Cum præcelsa, &c.* appellando Virginis, *Miram Conceptionem*: *Sed innixa super Dilectum suum*; Qui proptèr sui, Matrisque honorem, non permisit eam à flamma vorari, quæ sola inter

Roman. Ecclesiast. Ber. Sen. Cantic. Sixt. IV.

Iob: inter omnes pueros Iob, iure enunciare poterat, *Ignis cecidit è Cælo, & tactas oues, puerosq; consumpsit, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi*. Effugi ego sola, vt nunciarem Mundo misericordiam, qua meus Filius vsus est, me à culpa originali liberando, & præseruando: Quod San-

Lucas. ctissima Virgo fassa est, quando cecinit, *Luc. c. 1. Fecit mihi magna, qui potens est, &c. Et misericordia eius à progenie in progenies*. Proindè concludamus B. Virginem non contraxisse peccatum originale:

Habacuc. Nona Prophetia sit Habacuc, *c.* 3. Vbi dicit, *Sol, & Luna steterunt in Tabernaculo suo in luce Sagittarum tuarum ibunt, &c.* Quæ verba de Christo, & Virgine intelligit

Ber. Sen. Bernardinus Senensis, *t.* 4. *Serm.* 1. *de Gloriof. Nom. Mar.* inquiens, *Sol, & Luna, idest Christus, & Maria, steterunt in Habitaculo suo*. Ex quibus Prophetæ verbis, Christi Filij, & Mariæ Matris Innocentia, & puritas significatur. Quod tribulationes, falsas calumnias, vel Dæmonum tentationes Sagittæ significent, multi afferunt: Quod Sagitta

Psalmus. volans in die, de qua Propheta *Psalm.* 90. loquitur, *A Sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris*,

Iac. de V. Significet peccatum Luxurie, asserit Iacobus de Valentia

Psalmus. in eodem Psalmo. Nihilominùs, per ea, quæ dicit idem Propheta, *Psalm.* 37. scilicet, *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, per Sagittam intelligitur peccatum originale, corruptio carnis, fomentum ad malum, & cętera damna, quæ inde sequuta sunt, post (ob nostrorum Parentum miserabilem casum) à Deo illis maledictionem inflictam, quod expressiùs declarat per sequentia verba *Psalmi*. Sic in-

Ibid. quit Iacobus ibidem, *Quoniam Sagittæ tuæ, sententiæ scilicet, corruptio carnis, & fomitis, & pœnalitates, infixæ sunt mihi, postquàm peccaui, tu confirmasti manum sententiæ tuæ super me. Quando fui spoliatus, & sauciatus, & dixisti, Maledicta terra in opere tuo, & ideò non est sanitas in carne mea à facie irę tuę; Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Non est, nec remansit sanitas in carne mea, quoniam,*

ex

ex quo me proiecisti à facie iræ, & sententiæ tuæ, non est, nec remansit pax in ossibus, & visceribus meis, à facie, & culpa peccatorum meorum. Cur peccatum originale nuncupetur Sagitta, dicit Ioannes Osorius, *t. 3. Conc. 2. de Concept. B. Mariæ*, sic, *Originale peccatum significatur Sagitta, quæ à longe mittitur; quia à primo Parente in omnes posteros hæc labes descendit.* Quilibet Filius Adæ clamare cogitur, Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi; quoniam quilibet peccati originalis Sagitta vulneratur, sauciatur. Ioannes, & Hieremias etiam, ac alij, quamuis citiùs, & sine medicamine Baptismatis, sed cum gratia sanctificante fuerint sanati; Solus Christus, sola Maria eius amantissima Mater, dum Sagittarum grando facta est, steterunt in habitaculo, idest in æterna voluntate diuina illos præseruando, Filius se ipsum, & Matrem; vnde benè fari poterant, quod Propheta cecinit *Psalm. 76. Etenim Sagittæ tuæ transeunt.* Quod prǽuidit etiam Habacuc per illa verba, *In luce Sagittarum tuarum ibunt.* Ibunt in luce Sagittarum, quia peccatum, quod infecit, & vulnerauit omnes alias Creaturas (licet præcipuas) maiorem excellentiam, & splendorem arguit in Christo Sole, & in Maria Luna. Hoc præuidit etiam Isaias, *cap. 37.* vbi de Ciuitate Hierusalem, & de Assiriorum Rege inquit, *Non intrabit Ciuitatem, & non iaciet ibi Sagittam.* Non potuit intrare Satan in Animam Virginis, nec iacere Sagittam peccati originalis. Concluditur B. Virginem Deiparam originalem non contraxisse culpam.

Io. Osor. Psalmus. Habacuc. Isaias.

Decima, & vltima Prophetia, alijs omissis, fit Micheǫ *cap. 4.* vbi inquit, *In nouissimo dierum erit Mons Domus Domini præparatus in vertice Montium, & sublimis super Colles, & fluent ad ipsum Populi, & properabunt gentes multæ.* Hoc etiam præuidit, & quasi eisdem verbis refert Isaias *c. 2.* ex quibus manifestè apparet, quod B. Virgo peccatum originale non contraxit. Quod Christus vocetur Mons, ait Ambrosius, *lib. 7. in cap. 11. Luc.* Quod Angeli

Michæas. Ambros.

 geli

Auguft. geli vocentur Montes, fentit Auguftinus, *lib. Soliloquior. c.* 27. Quod cęteri Sancti, fed præfertim Apoftoli nuncupentur Montes, fentit Ambrofius in *Pfalm.* 43. & Cyrillus Alexandrinus, *fup. Ioel.* At, quod Maria Virgo appelletur Mons, clariffimum eft apud Patres omnes. Eft enim Mons præparatus diuina præueniente gratia, fuper omnes Colles, & Montes Sanctorum, & Angelorum. Sic Antonius de Padua, *Serm. Sab.* 1. *Domin. Quadrag.* Et Gregorius Papa, 1. *Reg. c.* 1. loquendo de Maria, ait, *Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis fuæ dignitate tranfcendit. An non Mons Maria, quæ, vt ad Conceptionem Aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem fuper omnes Angelorum Choros, vfq; ad Solium Deitatis traxit. Huius enim Montis præcellentiffimam dignitatem Ifaias vaticinans, ait, Erit, &c. Mons quippe in vertice Montium fuit, quia Altitudo Mariæ fuper omnes Sanctos refulfit.* Et Andreas Cretenfis in *Salutat. Angel.* dicit, *Tu fola verè benedicta, quam Vir defideriorum Daniel Montem vidit, & Habacuc Admirabilis Montem opacum, Montem quoq; Dei, Montem pinguem, Montem coagulatum, in quo placitum eft Deo habitare. Te tuus ille progenitor, atque Rex propheticè decantauit.* Hunc Montem, Lucifer omnis doli Artifex calcare cupiebat, quando infana fuperbia tumidus dixit, *Sedebo in Monte Teftamenti, Ifaias c.* 14. Chriftus Dominus Virginis Filius Amantiffimus, propter ab æterno præuifam Incarnationem, fedit in ea, ficut in claufa Porta Ezechielis dictum eft, fatuè ergo Satan infrons præfumpfit. Hinc iuftiffimè Chriftus dixit per Ezechielem *cap.* 28. *Peccafti, & eieci te de Monte Dei.* Maria vtiq; Mons eft, de quo abfciffus eft lapis fine manibus, qui Statuam Infidelitatis, & Gentilitatis comminuit. In hoc Monte pingui, pinguedine gratiæ, Dei Verbum, quando in Virgine carnem affumpfit, habitauit, *Pfalm.* 67. Ioannes Damafcenus, *Orat.* 1. *de Natiuit. B. Mariæ.* Hunc Montem fublimen exaltans, dicit, *Siquidem clariffimus Dei Mons pariter, Mons, inquam,*

Marginal notes: Ambrof. Cyril. Al. — Ant. Pat. Greg. Pa. — And. Cre. — Ifaias. — Ezechiel. — Pfalmus. Damafc.

inquam, ille, qui collem omnem, & Montem Angelorum, & hominum sublimitatem exuperat, ex quo, citra vllam manuum operam, corporeo modo, excindi voluit Lapis angularis Christus. De ipsa (quia sancta, & impolluta est) tanquam de Monte, Mundi salus exiuit: Hoc dicitur de Mõte Sion, ex Abdia Propheta, *cap. unic. Et in Monte Sion erit saluatio, & erit Sanctus.* Iste mirabilis Mons, hæc Deipara Virgo, ab æterno fuit præparata pro habitaculo Filij Dei, & super omnes Angelos, ac Animas à Deo creatas, quæ peccatum originale non contraxerunt, exaltata. Si verò B. Virgo maculam originalis culpæ contraxisset, priùs Draconis Infernalis cubile, quam habitaculum præparatum extitisset Filio Dei, quod dicere repuit animus. Neque in ipsa requieuisset Spiritus Sanctus, si aliquod tunc repugnans fuisset in ea. Mons Olympus propter suam celsitudinem nubilus, aut nebulis haud vnquam tegitur, & B. Virgo super omnes exaltata Creaturas, quandoq; nebula culpæ originalis contecta prædicabitur? Nemo Mariæ Deuotus dicet, nec ipse. Nunc ex probatis Patribus addemus Abdias.

DECEM REVELATIONES.

CLassici Doctores ad hoc nostrum assertum probandum, Reuelationes non spernunt; præcipuè Henricus de Gandauo, *Quolib.* 15. *qu.* 13. qui ait, *Normannis Reuelationem factam fuisse, & celebrare, &c.* Marsilius Inguen, 2. *Sent. qu.* 2. *art.* 1. neq; Bonauentura illas respuit, in 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. sed precipuè Ioannes Bacconus, qui *lib.* 3. *Quolib. qu.* 13. ait, quod magnam efficaciam habeant Reuelationes circa huiusmodi negotia, quæ Christianorum cultum respiciunt, & ex Ioanne Beletho, *Ration. Diuin. Offic.* & Vincentios Beluacensi in *Specul. Historial.* inquit, quod per Reuelationes Sancta Romana Ecclesia celebrat festum Natiuitatis Sacratissimę Virginis Matris

Henri. G. Ma fil. Bonauen. Baccon.

Ioan. Bel. Vin. Bel.

tris Dei. Nam cum esset magna dissentio in creatione Summi Pontificis, ob reuelatam veritatem de Virginis Mariæ Natiuitate celebranda à fidelibus, festiuitas fuit decreta, & discordia contrita, & pax vera contracta. Non erit ergo dissonum pro veritate Immaculatissimæ Conceptionis Mariæ Decem Reuelationes tangere, vt Deuoti Mariæ ardenter ad Laudes tantæ Matris excitentur.

Christ.A. Prima Reuelatio pro hoc Misterio, sit illa, quam refert Christophorus de Auendagno, *Serm. Adu. serm. de Concep. discur.* 2. Qui ait, quod Ioannes Patriarcha Hierosolimitanus quadragesimus quartus in numero, refert, apud Patres Sacrum Carmelum Montem habitantes continuam, vsq; ad eumdem Ioannem traditionem viguisse, quod scilicet in illa nubecula, quam Elias Propheta

3. Reg. ostendit Achab, vt *in* 3. *Reg. lib.* 18. legitur, *Ecce Nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de Mari*, quæ Virginem figurabat, quatuor eidem Prophetæ Misteria reserasset Deus, quorum vnum erat, quod Mater Dei, sine culpa originali, erat concipienda. Sicut enim nubecula illa ex Maris aquis, sine amaritudine eleuabatur, eodem modo, Virgo Deipara, ex humanæ aquis naturæ, sine culpæ originalis amaritudine eleuabatur, idest concipi debebat. Immò idem Patriarcha Ioannes ait, successores Eliæ in Monte Carmelo baptizatos fuisse, & in eorum opinione, quod sine originali peccato Virgo Maria Deipara concepta fuisset, ab Apostolis fuisse confirmatos, *Reuelauit Deus Eliæ* (verba sunt Patriarchæ) *quod quadam infantula* (*scilicet B. Virgo Maria*) *per illam nubeculam significata, &c. quæ Infantula, iam in suo ortu, esset munda ab omni peccatorum sorde; quemadmodum nubecula illa fuit de Mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine, &c.* & inferiùs. *Beata tamen Maria de hoc Mari* (*idest de natura humana*) *aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar, illius nubeculæ, fuit leuis per immunitatem*

tatem peccatorum, & dulcis per plenitudinē charismatum. Hæc Idem Patriarcha Ioannes, *lib. de Institut. Monach. c.32.*

Secunda Reuelatio sit illa, quæ facta fuit tempore Caroli Magni Imperatoris, circa annum 880. & habetur in *Additione Historiæ Lombardicæ Iacobi de Voragine Archiepiscopi Ianuensis*, vbi legitur; Quod quidam Clericus germanus Frater Hungariæ Regis, toto cordis affectu Dei Genitricem diligebat, cuius Horas Canonicas deuotissimè quotidie persoluebat. At Consanguineorum consilio cum valde speciosa adolescentula nubere cogebatur. Cum autem in Ecclesia, iam celebrata Missa, ac Sacerdotali benedictione accepta recordaretur, se Horas Canonicas, vt moris erat, ad Virginis Mariæ Laudem, non recitauisse; præcepit, vt omnes simul cum Sponsa, & comitatu de Ecclesia exirent. Ipse autem solus, propè Altare remansit ad Horas Canonicas persoluendas, quas cum diceret, & Antiphonam illam, *Tota pulcra es, & decora*, exprimeret, statim pijssima Mater Dei, in medio duorum Angelorum existens, apparuit ei dicens; Si ego sum pulcra, & decora, quid ergo est, quod me dimittis, & aliam in Sponsam accipis? Numquid non sum illa pulcrior? Numquid ego non sum optimè formosa? Numquid non sum valdè decora? Vbi, vbi vnquam vidisti tam pulcram? Cui ille, Domina mea, inquit, claritudo tua omnem Mundi pulcritudinem excellit. Tu es super omnes Thronos, & Choros Angelorum eleuata, & super Cœlos Cœlorum exaltata. Quid ergo vis, vt faciam? At purissima Mater, si Sponsam, inquit, carnalem, cui adhærere vis, pro amore meo dimiseris, me Sposam in Cœlesti Regno habebis. Et si festum Conceptionis meæ annuatim, 6. Idus Decembris solemnitèr celebraueris, & colendum ab alijs prædicaueris, mecum in Regno vnigeniti Filij mei laureatus eris. His itaq; dictis, Domina Deipara disparuit. Clericus autem Domum redire nolens, absq; suorum consanguineorum Consilio, vel consensu, illicò Abbatiam

quamdam

quamdam ingressus, Monastico fuit habitu indutus. Ibiq; post exiguum temporis spatium, meritis B. Mariæ Virginis, quæ diligentes se diligit, remunerat, decorat, & beatificat Aquileiæ Patriarcha factus, festum Conceptionis, die præfato, quamdiù vixit, annuatim cum tota Octaua diligentèr, & deuotè celebrauit, & celebrandum monuit, & curauit. Reuelationem hanc refert etiam Marsilius Inguen, *2. Sent. qu. 2. art. 3.* Eamdem Dionysius Carthusianus, ex Anselmo, *Serm. de Sanct. p. 2. Serm. 2. de Concept. B. Mariæ*.

Marsil.
Dio. Car.

Baron.

Tertia Reuelatio habetur ex Baronio, *Annot. Martyrol. Rom.* quæ facta fuit anno circitèr 1070. cuidam Hellinio Abbati Cœnobij Romasiensis, seu Remensis: Nam cùm Gulielmus Normannorum Dux Regem Angliæ Cleri impium percussorem è Regno eiecisset, & occidisset, Regno petitus, prudentèr populos gubernabat. Daci verò iniquo Normannorum Imperium ferentes animo, Classem parant copiosam, Regem Gulielmum, Normannosque cunctos expellere de Regno præsumentes; quo cognito, bonus Rex prædictum Helsinium Abbatem misit Daciam versus, vt de huiusmodi negotio veritatem inquireret, referretq; quod prudentèr expleuit. Sed in Angliam rediens, se Mari commisit, ac naufragio pressus incredibili, simul cum alijs submersioni proximus videbatur, solummodo Diuinum auxilium expetebant, expectabant omnes. Statim Venerandum Senem inspexerunt Infula Pontificali decoratum, inter vndas, Naui proximum, qui aduocato ad se Helsinio, hæc ei verba dixit, Vis periculum euadere? Vis ad Patriam securus ire? Cum Abbas ei respondisset, hoc solum toto corde exoptare, dixit Senex, Scias me ad te à Domina nostra Dei Genitrice Maria, ad quam ardentèr confugisti, reclamasti, directum, & si dictis meis obtemperaueris, sanus cum comitibus iminens euades Maris, seu Mortis periculum. Promisit Abbas. Promitte, (inquit Senex) mihi, & Deo, quod

diem

diem Conceptionis Matris Dei celebrabis, & celebrandum prædicabis? Abbas verò quæsiuit, Quinam dies mihi hoc festo erit venerandus? Sexto Idus Decembris, ait Senex, festum tenebis. At quo Officio, subiunxit Helsinius, in Ecclesiastico vtemur obsequio? Omnia, respondit Senex, quæ in Officio Natiuitatis Virgineæ dicuntur, in Conceptione dicentur, exceptò, quod nomen Natiuitatis, in vocem mutabitur Conceptionis. His dictis, disparuit, sedata illico tempestate. Helsinius Britannicis oris saluus, sanusq; applicuit. Cunctis hanc Reuelationem enarrauit. Abbas ob id in Remesiensi Cœnobio celebrari statuit, ac ipse, quoad vixit, B. Mariæ Virginis festū Conceptionis solemnitèr celebrauit. Hinc forsan Summus Pontifex Pius V. præcepit immutari Officium Natiuitatis pro festo Immaculatissimæ Conceptionis, adnotauit Hugo Siphilinus, *Coroll. Virg. proposit.* 104. Hanc Visionem etiam tangit Pelbartus de Themesuuar, *Stellar. lib. 4. p. 1. art. 3.* Et Dionysius Carthusianus, vbi supra, *Serm.* 1. Quamuis Petrus de Natalibus in suo *Cathalogo Sanctor.* Anselmo hoc accidisse dicat. At Marsilius Inguen, vbi supra, his verbis Reuelationem refert. *Ante adeptum Regnum, Duci Gulielmo factam fuisse Visionem, sic; Secunda fuit facta Duci Normannorum Gulielmo, qui transiens cum exercitu valido ad Angliam pro acquirendo sibi Regno, vsque ad extremum periculum suæ Classis perducto, simili Reuelatione, & promisso liberatus, & ad Portum perductus, totius Regni Anglicorum victor factus est.* Forsan duplex ad idem Reuelatio.

Hugo Si. Pelbart. D.o. Car. Pe. de N. Matil.

Quarta Reuelatio sit, quam refert Anselmus Episcopus ad Episcopos Angliæ. In Gallico Regno, quidam Canonicus Sacerdos, qui quotidie salutare solebat, cum toto cordis affectu B. Virginem, Matutino Officio, in quadam propinqua Villa, alterius Vxorem polluebat adulterio. Huic tandem accidit, quod post patratum scelus, festinus rediret ad locum nocte, & solus Pelagus

pertran-

pertransire compelleretur. Intrauit Cimbam, assuetas Virginis Horas decantans, Iam inceperat, *Aue Maria*, pro Inuitatorio, & statim Dæmonum Turba Presbiterum, & Cimbam subuertunt, illiusq; Animam diripiunt. Tertia autem die, Domina Mater Dei, ad tormentorum locum, Angelorum, & Sanctorum vallata splendoribus, humani Generis hostes acritèr reprehendit, quos huiusmodi raptus rationem reddentes, ardentèr pijssima Mater compescuit. At quoniam opus Virginis Presbiter ille tunc peragebat, de manibus Dæmonum eius Animam liberauit. Sed Presbiter duplici erutus morte, gratias tantæ Redemptrici reddere cupiens humilitèr petijt, vt Maria Virgo ipsi reuelare dignaretur, quid facturus pro tanto beneficio esset. Respondit Cœlorum Regina, quod festum suæ Immaculatæ Conceptionis Populo annunciaret, & solemnitèr celebrari curaret. Qui Canonicus Vitam deinceps ducens heremiticam, cunctis querentibus, quid illi acciderat, nunciauit, & toto suæ vitæ tempore, Purissimam B. Mariæ Virginis Conceptionem celebrare, & solemnizare, omni meliori modo non destitit. Quod
Baccon. breuitèr etiam refert Ioannes Bacconis in *lib.* 3. *Quolib.*
Dio. Car. *qu.* 13. & Dionysius Carthusianus, vbi supra, *Serm.* 3.

Quinta Reuelatio sit illa huic non absimilis, quam re-
Com. C. fert Comentator Sequentiarum, & Hymnorum, Opusc. impresso Basileiæ 1497. *Quidam Secularis rusticali operi addictus, alijsq; mundanis occupatus negotijs, sed multis etiam prauis intentus artibus, ita vt, dum Terram coleret suam, quantum poterat, vicinis insurgebat, suosq; transgrediens terminos, aliorum terram furtiuè appropriauit, & apposuit. Hic tamen vir B. Virginem in mente habebat, & sape dum vixit, salutabat. Cum moreretur, venerunt Dæmones, eius Animam rapere cupientes. Adfuerunt etiam Angeli, qui cum præferrent minima, & pauca eius bona, ceperunt Dæmones contraria mala exhibere innumera. Cumq; exultantes Dæmones putauerint in dissidio habere victoriam; Intulit ex Angelis*

gelis vnus, quod Rusticus ille, cum magna deuotione solicitus fuisset B. Virginem quotidie salutare. Iniqui Spiritus, Dei Genitricis Virginis nomen gloriosissimum audientes, timuerunt valde, ac libentèr discessissent, si potuissent, ne eorum augeretur afflictio. Tunc accedens pijssima Virgo, ad rusticum defunctum dixit, Vis Dæmonum horribilitatem euadere? Vis Mundo diutiùs viuere? Qui talia exoptare respondit; Cui Sanctissima Mater dixit, Promittis mihi, quod festum Conceptionis meæ eris celebraturus? Hic, se omnino huius festi nescire diem, respondit. Tandem Innocentissima Mater expressit, Tantum in Sabathinis diebus memoriam huius festi peragas Conceptionis meæ, donec à Sacerdotibus hæc solemnitas fuerit manifestata, & celebrata; Hæc ad verbum.

Sexta Reuelatio fit illa, quæ diuinitùs fuit facta B. Birgittæ, vt habetur *lib. 1. Reuelat. c. 9.* vbi legitur, quod Sanctissima Mater, de suis Sanctis Genitoribus, sic ei alloquuta est. *Voluptas in eis mortua erat, &c. Et Verbo Angeli nunciantis conuenerunt carne, non concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra voluntatem suam, ex diuina dilectione.* Et ibidem dixit, *Cum Anima autem mea sanctificaretur, & vniretur corpori, tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile sit affatu.* Et in *lib.6. cap.*55. inquit B. Virgo, *Nam hora, in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora, & pratiosa, quia alij Coniuges conueniunt, ex voluptate carnali, mei verò parentes conuenerunt ex præcepto, & obedientia Dei.* Et ibidem dixit Sanctissima Virgo, *Sed scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod amici sui dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas elusceret in tempore præordinato.* Et in eodem *lib.6. cap.* 47. prius dixit. *Et veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato.* Tandem eadem Sacra Dei famula in *Serm. Angel. fer.* 4. *lect.* 1. *cap.* 12. ait, *Verè sine omni ambiguitate credendum est, quod materiam illam statim, quando in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, de qua Maria formari debebat, ipse* Birgitta.

Deus plus diligebat, quam omnia humana corpora à Viro, & Muliere generata, & generanda per Mundum Vniuersum.

Ber.Bust. Septima Reuelatio sit illa, quam refert Bernardinus de Bustis in Officio Conceptionis, secunda die, *lect.* 4. facta Archiepiscopo Tolosano Gundisaluo. Iste enim Dei seruus propter deuotionem, quam erga Deiparam Mariam habebat, Virginis Cappellanus vocabatur. Legitur, quod quotiescumque ipse celebrabat, aderat Beatissima Virgo. Cum autem Conceptionis eiusdem Dei Genitricis dies esset, & se ad Sacra Missarum solemnia præpararet, apparuit illi benignissima Mater, eique Planetam miro candore radiantem tradidit, dicens, Scias, Gundisalue, me sine originali macula fuisse conceptam. Reuerentèr igitur festum intemeratæ meæ Conceptionis celebrare procura. Archiepiscopus deuotus, tanto fauòre cumulatus, statim composuit de Virginis Conceptione Tractatum, ordinauitque festum Conceptionis per totum Regnum solemnitèr celebrari, totoq; suæ Vitæ tempore, annuatim publicè de Conceptione purissima, omni, qua potuit, eloquentia, sermonem habere procurauit. Hoc

Ant.Ca. refert etiam Antonius Canut *lib.* 7. *Mist. Virg. Mar.p.*1: *Mist.* 1. *lib. pag.* 183. Qui ex hoc deducit Deuotionem erga Immaculatam Mariæ Deiparæ Conceptionem Tolosæ antiquitus viguisse.

Bern.Gu. Octaua Reuelatio sit, quam refert Bernardinus Gugnonus in suo Cronic. ad annum 1292. vt ex Ioanne Eu-

Nieremb. sebio Nierembergio de *Perpetuo obiecto, &c. cap.* 33. sic scribens; *Petrus Villarius Conuersus Beatus Ordinis Cisterciensis, quo tempore, tertia videlicet die post festum S. Nicolai à Regina Cæli Domina Angelorum, & Cistercienses Ordinis Aduocatrice speciali Reuelationem habuit, ei dicente. Hodie est Festum meum, vnde magis te, præ cæteris diebus, hodie Laudibus instare conuenit, amplioribus præconijs vacare, & sublimioribus meditationibus inuigilare. Cui respondens Vir Dei,* ait, *O Dulcis Domina, istud festum vsq; nunc ignoraui,*

quod

quod cum sciuero, deuotus peragam, & quoad vixero memoritèr recolam. Requirente igitur eo à quodam Kalendarium sciente cuius illo die festum esset; Respondit, quod esset festum Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ: quo cognito, singulis annis idem festum tota alacritate deuotionis celebrare studuit, in quo Dominus ei visitatione spirituali inenarrabilitèr consolationes, & Reuelationes ostendit.

Nona Reuelatio sit Beatæ Mectildis Germanæ in suis Reuelationibus, *lib. Grat. Spiritual. Visit.* ex Hippolyto Marraccio, *lib. Lilia Marian.*: Ista Virgo in festo Natiuitatis Gloriosæ Virginis Deiparæ, hæc audiuit verba ex ore Sanctissimæ Matris, *Ex illa namq; hora, qua Anima mea corpori est infusa, Spiritus Sanctus me repleuit, qui ab originali peccato penitùs emundauit, & singulari sanctificatione in Sacrarium sibi elegit, vt velut Rosa sine spina, & tanquam Lucifer orirer in Mundum.* Hip. Mar.

Decima, & vltima Reuelatio sit illa B. Amadei in visionibus, *Rapt.* 8. vbi habetur Angelum Gabrielem dixisse, *Firmitèr credendum esse, ipsam, quam Deus super omnes elegit in gratia, & in gloria, & quam primam post se in Regno suo esse voluit, vt per quam omne bonum, & omne donum in homines transfundere statuit; quia in suam Matrem elegit, nunquam fuisse Filiam iræ, nunquam fuisse in aliquo peccato maculatam, nunquam, neq; dum existeret, neq; antequam existeret, & in mente Diuina visione apprehenderetur, fuit apprehensa tanquam, aut gratiam carens, &c. Sola Dei Genitrix pro nullo vnquam tempore inimica fuit, sed semper amica Deo, nolente sibi vnquam iram, & semper volente gratiam, & gloriam, qua tunc, in quantùm filia talis Patris, merebatur iram, sicut & alij eius liberi.* Quam Visionem, seu Reuelationem plures Auctores referunt, sed præcipuè moderniot Augustinus de Angelis Episcopus Vmbriaticensis, *Tract. Theolog. de Immaculata Concept. p.* 4. Plures alias Reuelationes possent afferri pro purissimæ Virginis Innocentia stabilienda, sed Denario numero continemur. Deuotus Amad. Au. de A.

 quis-

quiſque Lector, ex Auctoribus hic citatis, ſic placuerit, excerpere poterit, ad Beatiſſimæ Virginis gloriam, & honorem.

TERTIA CHORDA, VEL VIA.

Decem directa Scriptoribus. Scriptorum Concordia.

EX varietate temporum, aut ſimultate, Perſonarum diuerſitate, & Scripturarum conformitate, non ſolum à paucitate Scriptorum, per ſupernam diſpoſitio-
Scotus. nem, Scotus Sacram Theologiam arguit ſufficientèr eſſe traditam, loco vbi ſupra. Nam Ezechiel in Babilone, & Hieremias in Iudæa, eodem tempore prophetauerunt, & dixerunt non ſolum ea, quæ à Moyſe, tanquam à communi Magiſtro acceperunt; ſed & alia multa, in quibus diſcordare potuiſſent. Illorum enim non erat euidentia ex terminis, & tamen concordes fuerunt, ex Deo reuelante. Sic poſſumus ex diuerſis iam in ſuperiori Chorda, vel Via, aſſignatis Prophetijs, quæ Virginis prædixerunt Innocentiam, Conceptionis eius Immaculatæ veritatem argumentari. Ex multiplicitate tamen Scriptorum in diuerſis Sæculis, in remotis Regnis, ſub varijs Regibus exiſtentium, multis oppreſſorum afflictionibus, diuerſarum etiam Nationum, tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſiæ, contenti ſumus etiam probare. Etenim ſi Scriptores, & Patres, vel implicitè, vel expreſsè conuenerunt in hac veritate, pro honore Dei, eiuſque Matris Mariæ, hoc ex afflatu illius Immenſi Spiritus (qui eiuſdem Virginis Sponſus eſt appellatus, qui uè dilectiſſimæ Sponſæ, puritatem, & Innocentiam cunctis reuelare, ad Eccleſiæ iubilum, eſt dignatus) fecerunt gaudentes.
2. Petri. Nam ex Apoſtolorum Principe habemus omnes Expoſitiones Sacræ Scripturæ (loquendo de expoſitionibus non diſtrahentibus) fieri inſpiratione Spiritus Sancti, ſic inquiens,

quiens, 2. *Epist. c.* 1. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Dei homines.*

Ex *Orientali Græcorum Ecclesia Auctorem Decem.*

ADamantius Origenes, *Hom.* 1. *in Matth. cap.* 1. inquit; *Huius itaq; Vnigeniti, dum dicitur hæc Mater Virgo Maria, Digna Digni, Immaculata Sancti, & Immaculati: Vna Vnius, Vnica Vnici.* Et pro Angelo ad Ioseph ait, *Accipe ergo eam, sicut comendatum cælestem Thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam Sanctitatem, sicut perfectam Iustitiam, &c. Sicut Regis Cælestis Sponsi Domum immaculatam.* Et in *Matth. c.* 2. *hom.* 3. inquit, *Ecce Dominus sedet in nube pusilla, & veniet in Aegiptum. Ecce Dominus sedet in nube pusilla, carnalem Animam non habente, nec aliquam peccati grauitatem.*

Ephrem Syrus, Serm. de Laudib. Virg. *Immaculata,* inquit, *incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni sorde, & labe peccati alienissima, Virgo Dei, & Sponsa, Domina nostra intemerata, prorsusq; pura Virgo Deipara, Regina Omnium, sublimior Cælicolis, purior Solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cęteris omnibus superis exercitibus gloriosior.*

Timothæus Hierosolimitanus, *in Cant. Simeon.* inquit, *Vnde etiam supra omnes inculpata, & omnibus modis Sancta Virgo, per illum, qui Domicilium habuit in ea, qua iam in supera assumptam traduxit. Dolorem autem cępisse Virginem supra quam dici potest, inculpatam, omnibusque modis Sanctam.*

Hesichius Hierosolimitanus, *Orat.* 2. *de S. Mar. Deipara,* inquit, *Ecce Virgo, Quanam? Mulierum egregia è Virginibus electa, gloria Luti nostri, quà Adamum pudore, &*

Euam

Euam comminatione liberauit, qua audaciam Dæmonis abscidit, quam concupiscentiæ fumus non attigit, neq; vermis voluptatis eam læsit.

Ioannes Damascenus, *Orat.* 1. *de Natiuit. Virginis*, inquit, *O Beatos Ioachim Lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen effluxit*. Similitèr ait, *O præclaram Annæ vuluam, in qua, tacitis incrementis, ex ea auctus, atque formatus fuit Fœtus Sanctissimus. Etenim natura Gratiæ cedit, & tremula stat, progredi non audens, quoniam vtique futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur. Natura Gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est. Verùm tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset*. Et *Orat.* 2. *de Dormit. Virg.* de eadem loquens, ipsam appellans Paradisum ait, *Etenim hunc Paradisum Serpens aditum non habuit*. Et *Orat.* 2. *de Assumpt. B. Mariæ*, inquit, *Fili, Animam meam tibi caram accipe, quam à peccati labe puram seruasti; Tibi, & non Terræ trado corpus meum, saluum, & incolumen hoc serua, quod incolere dignatus es*.

Ioseph Hymnographus, *Marial. ex Canon. die* 17. *Maij*. *O Virgo Immaculata*, ait, *ab omni prorsùs labe pura*. Et alibi, *Ab omni labe, & næuo immunis*, ac alibi, Mariam ab omni macula immunem canit sępiùs, vt est videre.

Michael Psellius, in *Cant. c.6.* Sexaginta sunt Reginę, & octoginta Concubinæ, & Adolescentulæ non est numerus, Vna est Columba mea, Perfecta mea. *Has Classes*, inquit, *atque hos Ordines Salomon ille prospiciens ex diuino afflatus spiritu, tanto ante cernens. Verbi Sponsi purissimi Incarnationem, & quæ ipsum sine semine genuit Sacrosanctissimam Dei Genitricem Mariam illam Immaculatissimam, quam omnes omnium hominum generationes, vocibus nunquam cessantibus, Beatissimam prædicant. quia totius Mundi peperit Saluatorem*. Et inferiùs, *Inter tot Animas omnium hominum, quæ saluantur, vt electa Columba, est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, Puella Maria, quæ puritate perfecta, Cherubim, atq; Seraphim antecellit*.

Euthi-

Euthimius Zigabænus, *Encom. in Adorat. Vener. Zonæ Sanctiss. Deipar. Hodie*, inquit, *Templum dedicatur laudatissimæ, & ab omni labe aliena puellæ.* Surius, 31. *Augusti.* Laur. Su.

Sabbas Collector Menæorum, *Ode* 5. canit, *Tu quidem, ò Virgo, illud diuinæ Originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat, Corpore humano indutum peperisti. Nam ab æterno propter splendorem integritatis, & pulcritudinem Virginalem, ac demum charismata, seu gratiæ dona, quæ te ab omni næuo immunem fecerunt manifestè sola digna tanti partus honore.* Et *Ode de S. Malachia*, ait, *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuisti.* Sic ex Ioan. Eusebio Nierembergio, Nieremb. *cap.2. de perpet.obiec.fest.&c.* Et ex Hippolytho Marraccio, Hip.Mar. *Not. in Theocia Iosep. Hymnogr. num.* 49. idem Sabbas *die* 3. *Ianuarij Ode* 3. ad Virginem, ait, *Nemo vt tu, Domina, inculpatus est aquè, nec præter te, incontaminatus quisquam, ò næuo nulli subiecta.* Et *die* 1. *Ianuar. Ode* 3. ait, *Tu quæ ab omni es næuo intacta.*

Theodorus Syngelus, in *Narrat. histor. de pretios. Veste Deiparæ in Blanchermis*, ait, *Par quippè, par omninò erat, vt, qui Animam, corpus, & rationem, moresq; ac sermonem, ipsamq; adeò cognitionem munda habuisset, ac incorrupta, nullamq; admittentia labem, ac ab omni sorde libera, suaque ipsius quoq; Vesti incorruptionem præstaret, O castissima, incorrupta, intemerata Domina, quam Deus sanctificauit, elegitq; ac dignam indicauit, ex qua Verbum sibi coæternum, ac consubstantiale incarnaretur.* Ex Nierembergio, *ibid. c.* 2. Nieremb.

Ex Occidentali Latinorum Ecclesia Auctores Decem. antiq.

Ieronymus exponens verba *Cantic.c.*4. *Hortus conclusus*, inquit de Virgine, *Hæc est Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquarum viuentium, ad quem nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata.* Et *Serm. de Assumpt. B. Mariæ*, ait, *Verè Hortus deliciarum,*

in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus, vt nesciat violari, neq; corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Fons itaq; signatus sigillo totius Trinitatis. Et in *Psalm*. 77. ait, *Pulcrè Propheta appellat Virginem Nubem diei, Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.*

Albinus Alcuinus, *lib.* 3. *de Sanctiss. Trinit. cap.* 14. inquit, *B. Maria Virgo fuit lana mundissima, scilicet Innocentia, & Virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis, quæ erant, sub Cælo, Virginibus; eratq; talis, ac tanta, vt sola digna fuerit diuinitatem in se recipere Filij Dei*, Et *Serm. de Natiuit. B. Mariæ Virgin.* ait, *Tu ergo Bellatrix egregiæ, primò eum, qui prius Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es.*

Bruno Carthusianus, in *Psalm*. 10. *Dominus de Cælo in Terram aspexit, &c. Hæc est enim*, inquit, *incorrupta Terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni præterea contagione peccati libera, per quam Vita Viam agnouimus, & promissam veritatem accepimus, quæ, quia digna fuit, Dominus de Cælo in Terram aspexit*. Et *Serm. de Natiuitate B. Mar. Virg.* ait, *Hæc linea incipit ab Eua, & desinit in Maria, in principio est Mors, in fine Vita consistit; Mors per Euam facta est. Vita per Mariam reddita est, Illa à Diabolo victa est. Hæc Diabolum ligauit, & vicit.*

Hugo de S. Victore, *Serm. de Assumpt. B. Mariæ*, ait, *Totus pulcher, totam pulcram sibi sociat. Tota pulcra es Amica mea. Ego totus pulcher, & tu tota pulcra; Ego per naturam, & tu per gratiam, Ego totus pulcher, quia totum, quod pulcrum est, in me est; tu tota pulcra, quia nihil quod in te est, turpe est*. Et de Verbo Incarnato, *Collat.* 3. ait, *Propterea Mater Virgo electa est, vt de munda immaculatus nasceretur.*

Riccardus de S. Victore, in illud *Cant. c.* 4. *Tota pulcra es Amica mea, &c.* inquit, *Nemo tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum, præter ipsam, scilicet B. Virginem.*

Luna

Luna enim, quæ nocte splendet, & Stellæ non sunt mundæ in eius comparationem,&c. Obtenebrantur enim Stellæ,idest Sancti, caligine humanæ culpæ, sed Beatissima Maria Virgo tota pulcra fuit, quam totam illustrauit,& perfudit Sol Iustitiæ,vt nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ. Et *lib. 2. de Emman. c.25.* ait, *Vt enim Virgo conciperet,Virgo pareret,summa Sanctitate, summa puritate opus habebat.* Et *cap.* 28. inquit, *Videris certè, quod illud remansit in Virgine, quod erat ad pænam,illud recessit,quod erat ad culpam;vitiositas recessit, pænalitas remansit.* Et *in cap.* 29. ait, *Sicut Cælum non est capax alicuius peregrinæ impressionis, vt loquuntur Astrologi, ita nec Deipara, propter mirabilem eius impeccabilitatem nullam peregrinam, leuissimam etiam peccati originalis impressionem vnquam suscepit.* Et *in cap. 39. in Cant.* ait, *Maria itaque super homines est, quod nunquam peccatum commisit,&c. super Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur.*

Idiota Contemplatiuus, *Contemplat. Virg. c.3. Inuenisti,* inquit, *gratiam apud Deum, ò Maria,gratiam,inquam,cælestem,quia fuerunt in te,ab originali labe præseruatio, Angelica Salutatio,Spiritus Sancti obumbratio,& Filij Dei conceptio.*

Elexander Alensis Doctor Irrefragabilis in opere *Mariale* tres libros complectente,quorũ primus prætitulatur, *De Genealogia B. Virginis,* & incipit, *Sancta, & Superlaudabilis semper Dei genitrix Maria ab æterno præuisa,*&c. *Libro tertio. cap. vlt.* cui titulus, *de Conceptione B. Mar. Virginis,* & *incipit, Fiat lux,*&c. post responsionem ad intentionem quorumdam dicentium Virginem Mariam conceptam copula maritali, inquit, *Nonne possibile est,quod talis actio ad inspirationem Spiritus Sancti perpetrata, & speciali præcepto completa,absque omni peccato exerceretur?* &c. hinc in fine vitæ,cantauit, *Tota pulcra es Maria,& macula originalis, aut mortalis,aut venialis in te numquam fuit;* Sed de hoc in 9. Chorda;hæc in Histor. Lombardica, & Bernardinus de Bustis, vt infrà.

Thomas Aquinas Doct. Angelicus,super *Epis.ad Galat.*

lect. 6. cap. 3. inquit, *Vnum de mille reperi, idest Christum, qui extat sine omni peccato; Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.*

Petrus Blomouena Leidensis, de *Bonit. diuin. lib. 3. t. 7. Exhort.* 7. inquit, *Hinc colligitur* (loquendo de Beatissima Virgine) *quod nunquam displicuit Deo, ecce carentia originalis peccati; nunquam offendit Deum, ecce carentia omnis actualis peccati, venialis scilicet, & mortalis. Semper placuit Deo, ecce inamissibilis gratia. O stupenda innocentia cum plenitudine gratiæ.*

Petrus Montius, de *Vnius Leg. verit.* ait. *Hic autem dicimus, quod firmitèr tenendum sit, Animam Dominæ nostræ maiorem in sua Conceptione perfectionem habuisse, quam aliquam aliam creaturam, præter Animam Christi, quod ex eo manifestatur, quia digniorem, atque eminentiorem finem, ac medium sortita est, quàm quæuis alia creatura, vel Angelus, siue Adam, & Eua. Cumque medium, & finis eiusmodi erant, necessariò oportebat, quod principium medio, & fini corresponderet. E à fortiori inferimus, quod cum Lucifer Adam, & Eua sine peccato creati fuerunt, multò magis Domina nostra, quæ dignior, & præstantior est.*

Alij Scriptores Latini Decem Posteriores.

PEtrus Galatinus, de *Arcan. Cathol. Verit. lib. 6. c. 9.* loquendo de varijs redimendi modis, inquit. *Sextus demum modus est, cum quis ab ipso originali peccato illæsus præseruatur, & hoc modo sola Beatissima Virgo, ex naturali propagatione genitis redempta est; Nisi igitur ab originali peccato, merito mortis Filij prauita, omnino immunis præseruata esset, nec humanum genus perfectè redemptum fuisset, nec Christus ipse humani generis perfectus Redemptor.*

Ioan-

Ioannes Trithemius, de *Laudibus S. Annæ, cap.* 1. *Hinc Crimine*, inquit, *originis maculæ partus non debebat Matrem, nisi Sanctam*; & Inferiùs, *sine omni culpa concepta, semperque Sancta vixisse in Mundo, creditur*. Et *cap*. 5. *Firma deuotione*, ait, *credendum est, Beatam Annam ineffabili gaudio, tunc repletam fuisse, quando Matrem Dei futuram S. Spiritu à sua Conceptione dignam, & mundam ab omni macula præseruatam in suo beatissimo Vtero nouem mensibus portauit*.

Iudocus Clithoueius, *Elucidat. Eccles. lib*. 2. ait. *Et certè magna ipsi Sacrosanctæ Virgini fecit Dominus, quoniam ipsam, antequam conciperetur, praeuenit in benedictionibus, & à labis originalis contagio, in ipso conceptu seruauit immunem*. Et *Serm*. 2. *de Concept. Beatæ Mariæ*, inquit, *Nullus igitur addubitare debet de puritate Conceptionis tam Sacræ Virginis, & Dei Matris, sed vt honor Matris redundat in Filium, vnusquisq; eam debet puram, & sanctam, atq; omnis maculæ immunem prædicare*.

Ludouicus Blossius, *Dict. Patr. cap.* 1. ait, *Porrò quod ad munditiam Conceptionis, huius Virginis Matris Dei attinet, non est quod dubites, &c. Lætaque deuotione celebrant recolentes exordium nostræ fœlicitatis, quando scilicet nobilissima Anima Mariæ à Deo creata, & ipsius Sanctissimo Corpusculo citra originalis culpæ contagionem infusa fuit*.

Laurentius Surius, in *Breu. Coment. Histor.* inquit, *Qui ergo eam, sic sibi voluit esse Matrem, vt non ab homine, sed de Spiritu Sancto conciperet, is proculdubio talem quoq; eam esse voluit, quæ ab omni peccato purissima digna esset, & concipere, & parere ipsum Filium Dei*.

Ioannes Vigerius, *lib. de Institut. cap. de Peccato originali, vers.* 2. *Dicendum est*, inquit, *quod ipsa sola speciali gratia præuenta fuit, & præseruata, eo quod fuit præuisa esse Mater, & Domus Dei; Vnde in Psalm. Domum tuam Domine decet sanctitudo*.

Didacus de la Vega, *Paradis. Sāct. c. 3.* ait. *Itaq; si tam sollicitè remouet impedimēta ab itinere, per quod transiturus erat Populus suus, ne pedes cœno defigeret, numquid maximè decuit, vt Matri suæ semitam pararet, quam pertransiret, ne luto peccati originalis conspurcaretur pes eius, & contaminaretur Anima? In transitu Maris, Amica mea, assimulaui te equitatui meo.*

Angelus del Pas, *Exposit. Symb. lib. 5. art. 3. cap. 27. Omnium,* inquit, *argumentorum genere, Mariam integram, plenamque à corruptione sanctitatem aggredior ostendere.* Et in fine, *In ipsa,* inquam, *receptione gratiæ, qua dicimus ab omni peccato præseruatam.*

Benedictus Arias Montanus, in *Habacuc c. 1.* inquit, *Ab illo tamen Adæ peccato, ab illa labe, & macula, nemo, præter vnum Christum, natura integer extitit, quicumque verò præter eum, extiterit, is non naturæ, sed Dei gratiæ, & dono, integritatem suam acceptam referat; talem tamen hominem neminem hactenus fuisse legimus, Sanctissimam Dei Genitricem excipimus, cuius integritati summæ, cuius pietati, cuiusq; admirandæ sanctitati tantùm tribuimus, vt ipsam extra omnem humanæ conditionis aliam constituamus; & cum de sanctitate, de integritate, deq; omnibus virtutum ornamentis agitur, nihil, quod ad hanc Virginem pertineat, in dubium, aut quæstionem venire patiamur.*

Iuo Parisiensis, *Digest. Sapient. c. 3. Ab æterno,* inquit, *præuisa Adæ culpa, etiam prædestinatus ad humani generis redemptionem, & perfectionem Christus. Et quia nasciturus erat de Virgine, etiam Virgo Mater fuit prædestinata immunis à peccato, quasi aliquod Christi ad illam ordinata. Sic præter communem humani generis conditionem electa seposita in ipsa sua Conceptione purissima, quia sic ab æterno præelecta.*

Concionatores Antiquiores Decem.

ANntonius Patauinus, *Serm. fer. 5. Dom. Pass.* loquendo de duobus debitoribus, inquit. *Aduertendum*

dum quod dictum Saluatoris solum tenet de illis, qui debitores fuerunt, non de illis, qui fuerunt ab huiusmodi debito preseruati, sicut qui fuerunt sanctificati in vtero Matris, quorum numero fuit B. Virgo, talis enim plus diligunt, quia maius beneficium accipiunt. Fuit vtique de numero præseruatorum B. Virgo Maria, sed specialiori modo, & ideò magis tenebatur, magisque amabat Deum præseruantem. Et *Serm. in Parasc.* loquendo de Christo Iesu, qui fuit illusus ab Herode cum veste alba, *Illusit,* inquit, *indutum veste alba, idest carne ab omni labe peccati munda, à Virgine immaculata sumpta. Deus Pater Filium glorificauit, quem* Herodes *spreuit; Pater veste alba induit, & Herodes illusit indutum, &c.* Si assumpsit carnem ab omni labe peccati mundam à Virgine immaculata ministratam, ergo B. Virgo non contraxit peccatum originale.

Vincentius Ferrerius, *Serm. 2. de Natiuit. Virg.* inquit. *Dixitque Deus, fiat Lux; Ecce Conceptio Virginis Mariæ, &c. fiat Lux; Lux dicitur benedicta generatio Virginis Mariæ. Non credatis, quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nascimur, &c. Sed statim post, quam corpus fuit formatum, & Anima illa creata, tunc fuit sanctificata, & statim fecerunt festum sanctificationis.*

Bernardinus Senensis, *t. 4. Serm. de Annunc. Beatæ Virginis.* ait, fuit, *Beata Virgo sine primo veh, hoc est sine tiranna concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone, Cant. c. 4. didicimus, qui; ait, Tota pulcra es amica mea, & macula, scilicet originalis culpa non est in te.* Hinc *t. 3. Serm. 49. p. 1. princ.* adhæsit alterius rationi, dicens, *Certum est, quod creauit Adam sine peccato originali de limo terræ, deinde ex costa eius creauit Euam, & sine peccato; Et certum est, quod Christus incarnatus est Deus, & homo, & fuit maior, quàm Adam, & Eua, & maioris dignitatis, & tantum interest inter eos, quantum*

inter

Didacus de la Vega, *Paradis. Sāct. c.* 3. ait. *Itaq; si tam sollicitè remouet impedimēta ab itinere, per quod transiturus erat Populus suus, ne pedes cæno desigeret, numquid maximè decuit, vt Matri suæ semitam pararet, quam pertransiret, ne luto peccati originalis conspurcaretur pes eius, & contaminaretur Anima? In transitu Maris, Amica mea, assimulaui te equitatui meo.*

Angelus del Pas, *Exposit. Symb. lib.* 5. *art.* 3. *cap.* 27. *Omnium*, inquit, *argumentorum genere, Mariam integram, plenamque à corruptione sanctitatem aggredior ostendere.* Et in fine, *In ipsa*, inquam, *receptione gratiæ, qua dicimus ab omni peccato præseruatam.*

Benedictus Arias Montanus, in *Habacuc c.* 1. inquit, *Ab illo tamen Adæ peccato, ab illa labe, & macula, nemo, præter vnum Christum, natura integer extitit, quicumque verò præter eum, extiterit, is non naturæ, sed Dei gratiæ, & dono, integritatem suam acceptam referat; talem tamen hominem neminem hactenus fuisse legimus, Sanctissimam Dei Genitricem excipimus, cuius integritati summæ, cuius pietati, cuiusq; admirandæ sanctitati tantùm tribuimus, vt ipsam extra omnem humanæ conditionis aliam constituamus; & cum de sanctitate, de integritate, deq; omnibus virtutum ornamentis agitur, nihil, quod ad hanc Virginem pertineat, in dubium, aut quæstionem venire patiamur.*

Iuo Parisiensis, *Digest. Sapient. c.* 3. *Ab æterno*, inquit, *præuisa Adæ culpa, etiam prædestinatus ad humani generis redemptionem, & perfectionem Christus. Et quia nasciturus erat de Virgine, etiam Virgo Mater fuit prædestinata immunis à peccato, quasi aliquod Christi ad illam ordinata. Sic præter communem humani generis conditionem electa seposita in ipsa sua Conceptione purissima, quia sic ab æterno præelecta.*

Concionatores Antiquiores Decem.

ANntonius Patauinus, *Serm. fer.* 5. *Dom. Pass.* loquendo de duobus debitoribus, inquit. *Aduertendum*

dum quod dictum Saluatoris solum tenet de illis, qui debitores fuerunt, non de illis, qui fuerunt ab huiusmodi debito praeseruati, sicut qui fuerunt sanctificati in vtero Matris, quorum numero fuit B. Virgo, talis enim plus diligunt, quia maius beneficium accipiunt. Fuit vtique de numero præseruatorum B. Virgo Maria, sed specialiori modo, & ideò magis tenebatur, magisque amabat Deum præseruantem. Et *Serm. in Parasc.* loquendo de Christo Iesu, qui fuit illusus ab Herode cum veste alba, *Illusit,* inquit, *indutum veste alba, idest carne ab omni labe peccati munda, à Virgine immaculata sumpta. Deus Pater Filium glorificauit, quem Herodes spreuit; Pater veste alba induit, & Herodes illusit indutum, &c.* Si assumpsit carnem ab omni labe peccati mundam à Virgine immaculata ministratam, ergo B. Virgo non contraxit peccatum originale.

Vincentius Ferrerius, *Serm. 2. de Natiuit. Virg.* inquit. *Dixitque Deus, fiat Lux; Ecce Conceptio Virginis Mariæ, &c. fiat Lux; Lux dicitur benedicta generatio Virginis Mariæ. Non credatis, quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nascimur, &c. Sed statim post, quam corpus fuit formatum, & Anima illa creata, tunc fuit sanctificata, & statim fecerunt festum sanctificationis.*

Bernardinus Senensis, *t. 4. Serm. de Annunc. Beatæ Virginis.* ait, fuit, *Beata Virgo sine primo veh, hoc est sine tiranno concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone, Cant. c. 4. didicimus, qui; ait, Tota pulcra es amica mea, & macula, scilicet originalis culpa non est in te.* Hinc *t. 3. Serm. 49. p. 1. princ.* adhæsit alterius rationi, dicens, *Certum est, quod creauit Adam sine peccato originali de limo terræ, deinde ex costa eius creauit Euam, & sine peccato; Et certum est, quod Christus incarnatus est Deus, & homo, & fuit maior, quàm Adam, & Eua, & maioris dignitatis, & tantum interest inter eos, quantum*

inter

inter Creatorem, & Creaturam: Modo non est credendum, quod ipse Filius Dei voluerit nasci de Virgine, & sumere eius carnem, quæ esset maculata, ex aliquo peccato originali. Immo credendum est quod voluit carnem ex carne purissima, & quod eius Mater fuerit plusquam Eua, & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.

Ioannes Thaulerus, *Serm. in fest. Purific. gloriof. semper Virg. Mar.* inquit, *Sicuti nec Beatissimæ Matris suæ, instar reliquarum mulierum purificatio erat, quando ab omni fuit præseruata peccato, &c.* Et inferiùs, loquendo de vnione virium, ait, *Vnitæ eidem infimæ verò supremis, instar Adam in originali persistentis Iustitia, innocentiaque perfectè obtemperabat. Qui nimirùm hinc illi accessit decor, quod culpæ originalis perpetuò expers fuit, à qua præseruarat illam Filius eius, ita vt, ne momento quidem temporis, vel iræ Filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut nos alij omnes) subiecta dominio fuerit. Præuenit hoc enim Sapientia æterna nolens electissimum Templum suum aliqua labe aspergi.*

Bartholomæus Pisanus, *lib. 1. de Laudib. Beatæ Virg. fruct. 7.* sic ait, *Christus dedit maiora, & minus necessaria Virgini, patet, quia eam suam Matrem fecit, ergo, & minora dedit, scilicet præseruationem à peccato originali*, Item *Præseruauit à pœna, ergo & à culpa.* Item, *Habitaculum Dei viui, Anima scilicet, corpusque Marię nullo peccati contagio maculatur, sed in infusione ipsius Animę corpori sic gratia pręuenit diuina, vt eius Sacer Conceptus ab originalis peccati macula (vt piè creditur) fuerit mirificè pręseruata.* Item, ibidem, *De facto B. Maria in sui Conceptione ab originali pręseruata, ne contraheret, fuit, virtute passionis Christi pręuisę.*

Leonardus de Vtino, *Serm. festiu. Serm. 12. cap. 2.* inquit, *Maioris gratiæ est pręseruare à lapsu, quam post lapsum, reparare, vt patet in Beata Virgine.* Et *Serm. de Sanct. 46. de Assumpt. B. Mar. Virg.* inquit, *Nihil*

in-

inquinatum in illam introiuit, non enim sibi se immiscuit peccatum originale, quia fuit in vtero ab Spiritu Sancto sanctificata; nec aliquod mortale, quia fuit Patris potentia roborata; nec aliquod veniale, quia fuit ab splendore Filij illustrata; nec aliquid actuale, quia fuit ab igne Spiritus Sancti illustrata.

Pelbartus de Themesuuar, *Stellar. lib.* 4. *p.* 1. *art.* 3. sic inquit, *Eius Conceptio fuit gratiosa, & ab originali peccato præseruata per specialissimam gratiam*, & citat Origenem dicentem, *Maria neque Serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est.*

Bernardinus de Bustis, *Marial. p.* 1. per totam, sed præsertim, *Serm.* 1. *p.* 2. *l. N.* in fine, inquit sic, *Cum omnia, quęcumque voluit, hęc & fecerit, Ipse enim dixit, & facta sunt*, *Psalm. antepenult. sequitur hęc verissima Conclusio, quod Deus voluit, & ordinauit Beatam Virginem ab originali macula pręseruare, illam absque dubio praseruauit.*

Gulielmus Pepinus, de *Imitat. Sanctor. Serm. de Concept. in Ecclesiastico, cap.* 24. *Quasi Palma exaltata sum in Cades.* In quibus verbis comparat se Virgo Palmæ. *Palma,* inquit, *deferri solet in signum victoriæ, aut lætitiæ, sic Beata Virgo habuit victoriam contra Serpentem antiquum, ne morderet eam per originalem culpam, & inde lætata est.* Et prius ait, *Conceptionem autem Virginis Mariæ, nisi diuinitus, & ex specialissima Dei gratia fuisset præuenta, & præseruata, vtiq; fuisset vitiosa, polluta, & maculata sicut & Conceptio cæterorum hominum.*

Henricus Helmesius, *Serm. in fest. Concept. B. Mariæ,* inquit, *Sequitur ergo irrefragabilitèr, quod Maria Virgo tanta puritate nituit, qua maior sub Deo intelligi nequit; & hæc fuit puritas præseruationis per gratiam, sicut puritas Christi est ex natura.*

Con-

Concionatores Moderniores Decem.

FRanciſcus Viſdominus, *hom. in feſt. Concept. Beatæ Mariæ*, ait, *Fælicissima omnium Virgo Mater, quæ & ipſa in Conceptione, ideſt infuſione Animæ in Corpus, gratiam Dei tantam habuit, quod ab omni peccato præſeruata eſt, & omni virtute repleta.*

Ioannes Baptiſta Raulinus, *Serm. de Sanct. p. 1. Serm. 2. de Concept.* inquit, *Lux autem inquinari non poteſt, etiam ſi Cloacas pertranſeat; nec tenebras ſecum patitur. Ergo nec Maria inquinata eſt, dum per Matris Vterum pertranſijt, nec tenebras peccati originalis ſecum paſſa eſt.*

Franciſcus Canophilus, *Econom. Concional. Sab. poſt 3. Dom. in Quadr.* ait, *In illo inſtanti, in quo debuerat maculari, tota Trinitas creauit vnam gratiam æquiualentem Iuſtitiæ originali, & infudit in eam, & non fuit ampliùs debitrix Iuſtitiæ originalis, & per conſequens non habuit peccatum.*

Ludouicus Granatenſis, *Conc. t. 5. Conc. de Concept.* ait, *Hodie item Spiritus Sanctus Telam texere cœpit, ex qua æterno Dei Filio mortalis naturæ veſtem aptaret. Hodie deniq; caro, & ſanguis ille completus eſt, ex quo carnem, & ſanguinem Filius Dei ſuſcepturus erat, quem pro ſalute noſtra funderet.* Ponderentur verba ad Conceptionem Virginis, quam puram, & immaculatam oſtendunt. Inquitque *Conc. 1. Vnde etiam conſequens eſt, vt Dei Filius, qui de Patre Deo gloriatur, talem ſibi Matrem eligeret, de qua etiam merito gloriari poſſit.*

Philippus Diez, *t. 2. Conc. 4. de S. Ioann. Bapt. Non ſurrexit maior*, inquit, *Et in hoc verbo, ſurrexit, inſinuauit quomodo Sacratiſſimam Virginem Matrem ſuam excepit, quæ nunquam ſurrexit, quia in nullam culpam, ſiue originalem, ſiue actualem incidit.* Et *t. 3. de Concept. Virg. Conc. 1.* ait, *Plus diſtat Mariæ Sanctiſſimæ Officium à D. Ioannis Officio, quàm præſeruationis gratia à ſanctificationis gratia; Ergo ſi* ccn-

Conueniens fuit D. Ioannem sanctificari, vt esset Christi Præcursor, conuenientius fuit Sanctissimam Virginem præseruari, vt Mater Dei esset.

Didacus Stella super *Magnificat. Luc. c.*1.ait, *Eam solam singulari quodam modo* (loquendo de Virgine) *redemit, & ipsam omni peccato immunem, tam actuali, quam originali seruauit.* Et *t.* 2. *cap.* 11. *Quapropter*, inquit, *Nos dicimus, & firmitèr credimus, quod ad hoc, vt apta, & idonea B. Virgo posset esse Mater Dei fortiori, & firmiori ratione conueniens erat, vt originali peccato caruisset. Cumq; B. Virgo dignissima fuerit Christi Mater, non dubitamus, quod, quemadmodum nullum habuit actuale peccatum, nec veniale, ita etiam nec originale habuisse, à quo quidem liberalitèr, singulari quodam Priuilegio, & beneficio immunis fuit.*

Ioannes à Carthagena, *Homil. Catholic. tom.* 4. *lib.* 17. *homil.* 2. inquit, *Beatissima Virgo instar Rosæ, in principio Creationis Mundi, & ante primi Parentis lapsum productæ, omni peccati spina, virtute sanguinis Christi, eam præseruantis caruit.* Sicut etiam *in prim. lib. Homil. homil* 19. Et in pluribus locis multa profert de Immaculata Conceptione Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, vt est videre.

Petrus Besseus, *t.* 3. *Concep. Theolog. in festo Conceptionis*, super verba, *Psalmi* 40. *In hoc cognoui Domine, quoniam, &c.* inquit, *Quamobrem necessariò ad Deiparam Virginem referenda sunt, quæ cælestem se gratiam consequutam fatetur, quod Diabolus peccati auctor nullum in ipsius Conceptionem ius habuerit, quodq; ob innocentiam suam electa fuerit, quæ Dei Mater foret. In hoc, inquit, cognoui, quod ab originali me peccato exemeris, quod præ reliquis creaturis mihi prærogatiuam concesseris, quod inter omnes Filias Adæ singulari hoc me priuilegio donans, quod nimirum in peccati immunditie nascentibus, sola ipsa, sine eodem sim concepta.*

Ioannes Baptista Gorus, *Sab. post* 2. *Domin. Quadrag.*

Ex D. Augustino, *Vermes*, inquit, *nunquam ausos esse illam carnem sanctissimam corrodere, in qua, & de qua Christus carnem sumpsit, &c. Quo pacto vermis peccati originalis Animam illius consumere, & corrodere voluisset?* Et inferiùs in Verba Habacuc, *Sol, & Luna steterunt, &c. Quid est hoc?* ait, *Sol Animam Mariæ, Luna corpus illius significat, sicut ergo corpus à corruptione præseruatum fuit, ita & Anima à peccato originali.*

Iacobus Scopperus, *Conc. Pars hiem. Conc. 3. in Festo Concept. Sentimus*, inquit, *Deum Conceptionem eius sanctificasse, & præseruasse illam à peccatis, sua gratia omnipotenti, qua nimirum, & ab æterno præordinauit, vt fieret Filij sui Mater.* Et *Conc. 6.* inquit, *Est igitur sensus, quod Messiæ Mater concipienda quidem, & nascitura, citra originalis peccati sordes, & immaculata, & omnium virtutum virore prædita.*

Decem Concionatores Italico Sermone.

CORnelius Mussus, qui fuit Episcopus Bituntinus, *Par. 2. Sab. 4. Quadr.* Exponens Verba, *Cant. c. 4. Leua eius sub capite meo*, ait, *Quasi volendo dire, da me sarei caduta in peccato originale, come l'altre figliole di Adamo, mà lo Sposo con tutte due le mani mi hà tenuta sì forte, ch'io non caddi mai; A lui rendo le gratie, à lui l'honore.*

Petrus Rodulphus, qui fuit Episcopus Senogalliæ, *p. 1. Conc. Conc. de Excellent. Virg.* inquit, *Maria è vaso polito, vscito da quel gran Maestro, &c. All'apparire dell'Aurora fuggono i Ladri, all'apparire di Maria fuggì il Diauolo, che non hebbe mai forza, con tutto il suo potere, e sapere, d'imprimere quì il suo carattere. Eua Madre de' carnali formata senza macchia alcuna di peccato, Maria Madre di salute sarà macchiata? &c. La Madre de viuenti, e dell'istessa vita, Madre, e Genitrice di vita Celeste? Lungi, lungi. Vuoi dare*

più

più perfettione all'ombra, che alla luce? All'Imagine, ch'al Prototipo.

Paulus Aresius, qui fuit Episcopus Derthonensis, *De Tribulat. lect. 24. num. 22.* ait, *Se dunque Adamo, & Eua furono creati, e predestinati independentemente dal peccato, come diremo, che la Vergine, la quale sopra ogn'altra creatura fù del peccato nemica, habbia à riconoscere qualsisia dependenza dalla colpa, siche veramente dir si possa, che se il peccato non fosse stato al mondo, ella non sarebbe stata prædestinata, ò assolutamente, ò predestinata Madre di Dio?* Inferat Deuotus, & prudens Lector Virginis à peccato immunitatem.

Fortunatus Scaccus Sacrista Pontificius, *p. 1. Concion. Conc. de Concept. B. Virginis*, in Verba D. Augustini, de Virgine, *Excipitur à quibusdam generalibus sententijs, &c.* inquit, *Fù preuista da Dio prima della preuisione del peccato, diremo, ch'ella non fù compresa in questa Lege naturale, e per conseguenza senza macchia di peccato originale.*

Scipio Agnellus Episc. Casalensis, *De Interna Cruce Matris Dei, lib. 6. disc. 5.* loquendo de Christo, sic inquit, *E se l'anticipò infinitamente, predestinandola per Madre di Dio ab æterno; come non l'anticipò nella Concettione per vn'instante?* Et inferiùs, *Perche ella è così libera da peccato originale per priuilegio, come Christo per natura.*

Michael Angelus Catalanus Episcopus Iserniæ, *Discor. Panegir. Disc. 2 Irid.* inquit, *Erano ambuedue arricchiti di gratia, &c. entrambi prima del Diluuio del peccato prodotti entrambi senza neo di macchia, e colpa originale, mà quello di Christo per natura, questo di Maria per fauor singolare, quello come concetto di Figlio di Dio, questo come di Madre di Dio; quello ex vi vnionis, questo ex vi præseruantis gratiæ. In somma la Concettione del Figlio era Iride immaculata senza veruna dependenza, e questo della Madre era Arco baleno senza neo di colpa, mà con dependenza dal merito del Figlio.*

Seraphinus Leggius, *In Aduent. Sac. Conc.7. de Concept. B. Virginis* per totam ait, *Non vi paia cosa strana, che con tutto ciò, che la Vergine sia nata da Gioachino, & Anna, che contrassero colpa originale, ella nulladimeno sia stata da quella macchia preseruata, si come si vede l'acqua dolce vscire dal Mare salso, hauendola cauata, & inalzata la diuina gratia.*

Hieronymus Mautinus Concionator Pontificius, *Conc. 1. de Concept. Non solo*, inquit, *nel camino della Terra al Cielo, mà di tutta la vita, cominciando dal primo instante della sua Concettione, questa gran Donna, questa gran Madre, questa gran Reina fù dal Figliuolo condotta, come bracciere, per conseruarla da' lubrici de' figlioli d'Adamo, ne' quali, come gl'altri, sarebbe caduta, se non si fosse appoggiata al suo Diletto, che festinus exiliuit de Solio, & sustentauit eam in vlnis suis.*

Aloysius Albritius Concionator Pontificius, *Conc. 34.* inquit, *Nel primo instante della sua Concettione, tuttoche generata di stirpe più bassa, e vestita di rozze spoglie, fù più bella, più gratiosa, e più pura de gl'Angioli, &c. Che la Madre di Dio fosse per vn'instante peccatrice? fosse Figlia d'Ira? fosse tributaria dell'Inferno? Io per me scacciarò sempre tale pensiero, come se mi vedessi attorno maligni Spiriti, con questo segno di Croce.*

Ioannes Paulus Oliua Concionator Pontificius, *Conc. 40. §. 554. Per Diuina misericordia*, inquit, *il sublime Mistero dell'Immaculata Concettione di Maria Vergine, essendo creduto, riuerito, e confessato da tante Communità, da tante Vniuersità, da tante Città, da tante Prouincie, e da Regni Cattolici tutti, da tutti i Capi coronati, da tutti i Rè, dall'vnico Cesare del Christianesimo, parmi superfluo di prouarlo, ò con pietà di conuenienza, ò con forza de raggioni, &c. tanto che ogni diuoto del Mistero corrente, s'arrossirebbe, se trà gl'infiniti momenti della vita di Maria, vno ne riconoscesse non grato à Dio, & à Satano soggetto. Ed'in vero, quando ciò*

fosse

fosse, come potrebbe dirsi dell'Innocentissima, Tota pulcra es, mentre con falsità si soggiungerebbe, & macula non est in te.

Theologi Antiquiores Decem.

THomas Aquinas Doctor Angelicus, *p. Sent. dist.* 44. *qu.* 1. *art.* 3. *ad tert.* inquit, *Quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.*

Ioannes Duns Scotus Doctor Subtilis, ex quo Scholæ cęperunt hanc veritatem defendere, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. per totam, & *dist.* 18. *quest. vn. l.* G. vbi loquens de varietate Beatorum, inquit, *Est ibi etiam Beata Virgo Mater Dei, quæ nunquam fuit inimica actualitèr ratione peccati actualis, nec originalis, fuisset tamen, nisi fuisset præuenta.*

Franciscus Maironus Doctor Illuminatus, 3. *Sent dist.* 3. *qu.* 2. *art.* 3. inquit, *Deus de facto ipsam ab originali præseruauit.* Et prius *art.* 2. dixit, *Decuit quod Christus Matrem suam, ne peccatum originale contraheret, præseruaret, quia agens beneuolum circa effectum sibi gratum nihil omittit de contingentibus, &c.*

Ioannes Bacconus Doctor Resolutus, 4. *Sent. dist.* 2. *qu.* 3. *art.* 3. querens, An necessitas contrahendi peccatum originale fuerit in Beatissima Virgine statim extincta, Respondit, *Vbi dico, quod mox per priuilegium speciale, in hora Conceptionis fuit causa, & necessitas contrahendi originale in Matre Dei extincta, vt de iure priuato illa in animatione non contraheret originale, quo notatur culpa, & macula, licet alibi, attendens ad ius commune, alitèr dixerim.*

Guliel-

Gulielmus Hoccam, *lib.* 3. *Sent. qu.* 2. loquendo de duplici ſanctificatione Virginis, & de duplici ablato fomite, inquit, *In prima* (ſcilicet ſanctificatione) *fuit iſte fomes ablatus, quando infundebatur eius anima, ne inclinauit voluntatem ad peccatum mortale*.

Ioannes Baſſolius, 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. *art.* 3. aït, *Tertio ponam aliam, quam intendo tenere, ſic videtur mihi dicendum, quod Deus potuit, & decuit hoc fieri, quod ipſe preſeruaret Virginem Matrem ſuam dulciſſimam, ne peccatum originale contraheret in ſua Conceptione, tertio modo dicta, ita quod de facto B. Virgo originale non contraxit*.

Gulielmus Rubionus, 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. inquit. *Quinta Concluſio, quod Beatiſſimam Virginem non fuiſſe in originali reatu conceptam, ſed ab ipſo, ex ſpeciali priuilegio præſeruatam piè, & probabilitèr poteſt credi*.

Laurentius Opimus, 3.*Sent. diſt.*3. *queſt.*2. *art.*1. inquit, *B.Virgo in inſtanti infuſionis Animæ ad carnem fuit verè ſanctificata ex aliquo ſupernaturali dono, quia B.Virginis Anima fuit creata cũ gratia ipsã præſeruante ab omni originali culpa*.

Marſilius Inguen. 2. *Sent. qu.* 20. *art.* 5. inquit, *Quarta Concluſio eſt reſponſalis, Anima Virginis nunquam fuit ſub macula culpæ originalis*, & *art.* 2. dixit, *Magis decuit Deum Virginem Matrem præſeruare à macula mentis, quàm à dolore corporis, patet, quia Anima eſt præſtantior corpore, quia Anima eſt expreſſior Imago Trinitatis, quia macula mentis, ſine proportione eſt grauior dolore corporis*.

Gabriel Biel, 3. *Sent. diſt.* 3.*qu.* 1. inquit, *Beatiſſima Genitrix Dei Virgo Maria ab omni peccati originalis contagione fuit penitus præſeruata. Iſta Concluſio probatur auctoritatibus, &c.*

Decem Theologi Poſteriores.

THomas de Argentina, 2. *Sent. diſt.* 30. *qu.* 1. *art.*1. inquit, *Dico quod Virgo glorioſa, ex priuilegio ſingulari,*

ſic

sic fuit preuenta Spiritus Sancti gratia, quod originali culpa nunquam extitit maculata, & art. 4. ait, *Dicendum, quod ab illa Lege communi, Christus, & Maria videntur excepti, alitèr tamen, & alitèr, quia Christus nec originale peccatum contraxit, nec contrahere potuit, sed Maria, quamuis misericordia Dei preuenta, originale non contraxerit, quantùm tamen de se fuit, ex propagatione suæ originis, contrahere poterat.*

Petrus de Aquila, cognomento Scotellus, 3. *Sent. dist. dist.* 3. *qu.* 1. inquit, concludens cum Anselmo, Virginis puritatem. *Pura Innocentia excludit peccatum originale, ergo non habuit peccatum originale.*

Dominicus Bolanus Doctor Patauinus, *Quæst. de Concept. Gloriosæ Virginis Mar.* inquit, *Postquam demonstratum fuit à nobis fuisse conueniens, quod Virgo in peccato originali non esset, nunc in præsenti articulo, conuenientia iam demonstrata, intendo demonstrare hoc ita fuisse, & hoc per rationes sumptas ex parte Christi Redemptoris nostri.*

Gulielmus Vorilongus, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. *art.* 3. inquit, *Dico, quod alio modo liberauit Mariam, quia antequam caderet, alitèr cęteros, quia post casum,* Et ad auctoritates in contrarium, dicit, *Quod intelligantur de Lege communi, non de priuilegio; Maria autem exempta fuit per priuilegium.*

Nicolaus de Orbellis, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 3. *art.* 3. inquit, *Fuit itaq; Virgo purissima immunis à macula peccati originalis, teste Sapiente, tota pulcra es Amica mea, inquit, & macula non est in te.*

Dionysius Carthusianus, *Sent.* 3. *dist.* 3. *qu.* 1. inquit, *Contulit ergo Matri suæ quidquid potuit, ac decuit, potuit autem præseruare, & decuit eam præseruare, & ideò eam præseruauit, nec in hoc Filij derogatur excellentiæ, quoniam ipse Dominus Iesus peccatum originale incidere non potuit, Maria autem potuisset, nisi præseruata fuisset. Et Matris honor refertur in Filium, à quo habet quidquid habet.*

Ioan-

Ioannes Maior, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. inquit, *Quinta Conclusio, Factum est, quod Diua Virgo non est in peccato originali concepta, sed ipsa est concepta Sancta.*

Nicolaus de Nise, *in Quæst. Sent. tract.* 4. *p.* 1. *port.* 5. *qu.* 1. inquit, *His præmissis, ponenda est talis Conclusio, Beata Virgo fuit totaliter immunis ab originali peccato, patet satis ex dictis. Hinc respondeo ad omnes auctoritates, & rationes in contrarium.*

Petrus Tataretus, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. ait, *Primo ergo non fuit concepta in peccato originali, quia in primo instanti Corpus fuit organizatum, in secundo Anima fuit creata, & in tertio gratia infusa, & in quarto fuit vnita Anima cum corpore.*

Michael de Palatio, 3. *Sent. dist.* 3. *disput.* 1. respondendo ad Argumenta, inquit, *Mariam de iure peccasse in Adamo, non tamen de facto; de iure, quia ipsa ex iure propagationis, macula originali erat afficienda; at verò præseruata fuit ex diuina gratia.*

Decem Theologi Recentiores.

FRanciscus Suarez, 3. *p. D. Thom. qu.* 27. *disput.* 2. *sect.* 5. ait, *Dico tamen primò veritatem hanc, scilicèt Virginem esse conceptam absque peccato originali, posse definiri ab Ecclesia, quando expedire iudicauerit.* Insuper inquit, *Dicendum nihilominus est Beatam Virginem in ipso primo instanti Conceptionis suæ fuisse sanctificatam, & ab originali peccato præseruatam.*

Ioannes Paulus Pallanterius, *t.* 3. *Lect. Aur. lect.* 15. inquit, *Quod sanctificari minimè debuerat à culpa, quæ non infuit, sed solùm ab illa, quæ infuisset, nisi præseruata fuisset.* Sic de Maria loquitur.

Gregorius de Valentia, *t.* 4. *disp.* 2. *qu.* 1. *punc.* 2. per totum, inquit, *Probatur nostra Sententia ex indicio quodam, & sensu Ecclesiæ Catholicæ, vt supra dixi; Nam multis medijs osten-*

ostendi potest, Ecclesiam ipsam multo magis in eam sententiam perpendere, quæ asserit Beatam Virginem fuisse conceptam absq; peccato originali.

Philippus Faber, *3. Sent. dist. 3. disput.* 10. *c.* 3. *Quod solus Christus*, inquit, *per se fuit immunis à peccato originali, B. Virgo verò, non per se, sed per Christum fuit immunis.*

Philippus Gammacheus, *t. 3. in Sum. D. Thom. qu.*26. *Nihilominùs tamen*, inquit, *probabiliorem, & Christianæ pietatis magis consentaneam, quæ asserit, nullo vnquam peccato aspersam fuisse, sed conceptam in statu gratiæ originalis.*

Adamus Opatouius, *tract. de Indulgent. disp.* 2. *qu.* 2. *nu.* 18. loquendo de Thesauro Ecclesiæ, & meritis Beatæ Virginis, inquit, *Et hæc nullo peccato, nec originali, nec actuali, mortali, vel veniali obnoxia fuit.*

Christophorus Siluestranus, in *3. Sent. lect.* 15. inquit, *Nam fecit Deus cum Maria, vt amicus, qui videns aliquem necessariò casurum in lutum, spinas, & lapides, vel sumpturum venenum, & sic offendi, & mori, ipsum prauenit, & impedit, ne cadat, venenumq; bibat; Sic Deus præuidit Mariam in originalem labem casuram, venenumq; bibere, ideò prauenit gratia sua, & immunem, illæsamq; seruauit.*

Petrus Posnaniensis, *Decis. Theolog. lib.* 4. *cap.* 6. *qu.* 5. *Concl.* 9. *Beatissima Virgo*, ait, *non fuit sanctificata, sicut cæteri homines, sed sicut Angeli in instanti Creationis.*

Petrus Corneyo, *Diuers. Mater. t.* 2. *in sum. D. Thomæ, p.* 3. *dub.* 6. inquit, *Conclusio, Beata Virgo de facto non contraxit peccatum*, quod probans, inquit, *Præseruatio à peccato, est maius beneficium, quàm remissio illius, ergo perfectior modus redimendi est præseruare, quàm remittere. Quo modo Virgo Maria fuit redempta.*

Angelus Vulpes, meus amantissimus Præceptor, *Sum. Theolog. Scoti p.4.t.3.disp.72.art.*4. per totũ, sed *n.*9. inquit, *Christus est vtique mediator Dei, & hominum, Vniuersalis Redemptor, Reconciliator, & pro dignitate suæ infinitæ personæ, munus Mediatoris, Redemptoris, & Reconciliatoris debuit*

saltem summè, siue plenissimè exercere, nec nisi cum Maria eius vera Parente, cui ex debito naturalis obligationis tenebatur illud exercere, ideo de facto eam sic praeseruauit à captiuitate omnis peccati, siue originalis, siue actualis, vt sub ea, nec per instans fieret, &c.

QVARTA CHORDA, VEL VIA.

Decem explanata Auctoribus. *Auctoritas Scribentium.*

QVantæ Auctoritatis, & dignitatis sint Patres, qui de Immaculata Conceptione Beatissimæ Matris Dei sunt loquuti, cunctis patebit. Scotus, vbi supra, in *Prolog. Sent. qu.* 2. inquit, credendum esse Auctoribus Sacræ Scripturæ, quoniam Sancti Spiritus virtute repleti, mendacis erant prorsus expertes. Si enim illi mendacium damnant, quomodo in scribendo mendacium inuoluent? Haud certè; forsan ex lucro? Absit hoc cogitare. Immo ludibria, irrisiones, tribulationes maximas, verbera, cruces, & mortem ab illis passi sunt, quos ad credendum adduxerunt; sic paritèr in ista veritate de Immaculata Conceptione Deiparæ experitur. Auctores omninò sunt expertes mendacij, turpe lucrum abhominantes, Pontifices Summi, Patriarchæ Orthodoxi, Cardinales Eminentissimi, Sacratissimi Archiepiscopi, & Episcopi totius Christiani Orbis, qui Deo, & Mundo gratissimi fuere. Si de Innocentia purissimæ Matris Dei loquuti sunt, prædicauerunt, ac docuerunt, à Domino acceperunt, qui illis, sua infinita Misericordia, & Clementia inspirauit, vt de Immaculata Virgine Matre, pro tempore, ita sentirent, loquerentur, & scriberent. Hoc ad maiorem sui laudem operatur; quoniam, vt ait Hieronymus, *Serm. de Assumpt. B. Mariæ, Nulli enim dubium, quin totum ad gloriam laudis eius, idest Filij Dei, pertineat quidquid dignè Genitrici suæ fuerit inpensum, & solemnitèr* attri-

Scotus.

Hieron.

attributum. Quantæ Auctoritatis fuerint huiusmodi Viri insignes, cuncti fatebuntur, cum hoc dissonum sit negare. Sint Decem primi Auctores ex primitiua Ecclesia, deinde Cardinales, Patriarchæ, ac alij, qui in Ecclesia Dei, omni sapientia repleti, Auctoritatem spiritualem, & temporalem canonicè exercuerunt.

Decem ex Primitiua Ecclesia Auctores.

ANdreas Apostolus, inquit, *Quomodo de Immaculata Terra factus fuerat homo primus, necessarium fuit, ut de Immaculata Virgine natus Christus, vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet.* Ita Aloysius Lyppomanus, ex *Presbyteris Achaiæ*. Et Ioannes Serranus, *de Immaculata Concept. Mar. Virg. lib.* 2. *cap.* 14. Sic scribit ex *Abdia Babil.lib.*4. *Histor.Apostol. Sicut de Immaculata Terra nunquam maledicta factus fuerat primus homo, ita ex semper immaculata Virgine formatus fuit secundus Adam ex terra Virgine nunquam maledicta.* Aloys. L. Io. Serr.

Iacobus Maior, inquit, *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.* Hæc verba ex alio refert Ferdinandus Salazar, *Defens. pro Immacul.Concept. c.* 4. *sect.* 1. ab Apostolo Iacobo prolata. Ferd. Sal.

Thomas Apostolus, inquit, *O Maria, quam fœlix es, quæ ab initio, & ante sæcula, & in initio Viarum Dei ab ipso electa fuisti, & Adæ peccato prauiso, non fuisti cum omnibus alijs condemnata, teq; pro minimo momento, noluit inimicam, sed semper Amicam carissimam. Voluit Deus, vt merita Filij, tibi super omnes prodessent.* Amadeus, *Rapt.* 8. Amad.

Iacobus Minor in *Liturgia*, Post Memento pro viuis, habet, *Commemorationem agamus præcipuè Sanctissimæ Immaculatæ super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ. Dignum, & iustum est, vt te verè Beatam dicamus, semper Beatam, & omnibus modis irrepre-*

henſam, & Matrem Dei noſtri honorabiliorem Cherubim, & glorioſiorem Seraphim.

Bartholomæus Apoſtolus ad Polymnium Armeniæ Regem dixit. *Primus ergo Homo Adam dictus eſt, hic de terra formatus. Terra autem, ex qua factus eſt, Virgo fuit, quia nec ſanguine humano polluta fuerat, nec ad Sepulturam alicuius Mortui fuerat adaptata. Par ergo erat, vt dixi, vt qui Filium Virginis, ideſt Terra vicerat, à Filio Virginis vinceretur.* Ex Ioachino Pierionio in *Vita B. Bartholomæi Apoſtoli.* Ioac. Pic.

Matthæus Apoſtolus, ait. *O immaculata, ſcirpus es ſine nodo, pœnas carnis ob peccatum primi Parentis in poſteritatem deriuatas, pro parte etiam, tu ſuſtuliſti, pœnas verò Animæ, quæ obſunt, & non proſunt, nec habuiſti, &c. Neq; mirum eſt; Nam Spiritus Sanctus, qui eſt æternum Donum, te ſanctificauit, præſeruauit, illuminauit, & ſingularibus Priuilegijs decorauit.* Amadeus ibidem. Amad.

Matthias Apoſtolus, inquit, *Virgo quoq; nullis meritis præcedentibus, quibus tanquam operibus præuenientibus, ab ipſo peccato preſeruata fuit, antequam eſſet Cælum, & Terra, & ipſa natura Angelica, iam erat electa, iam ſi alij caderent in vno primo parente, præuiſum fuit remedium alios reſeruandi, ipſam verò omnino, Dono Dei, & remedio Paſſionis Filij ſui præſeruandam iam ordinatum fuit, vt Dono Dei, & diuina acceptatione, paſſio præuiſa plus ſibi prodeſſet, quàm alijs exhibita, quibus præuiſis, in peccato non fuit concepta.* Amadeus, vbi ſupra. Amad.

Lucas Euangeliſta, inquit, *Hoc tamen non decebat te Matrem Dei, Reginam Angelorum, & à peccato originali liberam, &c. Quia ergo illo peccato caruiſti, per gratiam Dei, viſum erat, vt in Viri poteſtate, non tranſmittereris.* Amadeus ibidem. Idem.

Marcus Euangeliſta, *Ex Presbyter. Abyſſinor. in Liturgia,* inquit, *Lætare immaculata, vera Regina.* Et deinde, *Hoc eſt Corpus, quod aſſumpſit ex Domina Immaculata Virgine Maria.*

Ignatius Martyr Epiſcopus Antiochenus, Ioannis Diſci-

Diſcipulus, *Epiſt.ad eumd.Apoſtol.*inquit,*Sed ſicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Ieſu humana natura Natura Sanctitatis Angelica ſociatur.* Has Apoſtolorum Auctoritates citat etiã Aegidius de Præſentat.*lib.2.qu.4.art.7.§.16.* Aeg.de P.

Eminentiſſimi Cardinales Decem.

PEtrus Damianus S.R.E.Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis,creatus à Stephano X. *Serm.de Aſſumpt.B.Virginis,* ait, *Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit; ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternę cõuerſa eſt.* Et in *eodem Serm.*prius,inquit,*Sic vtramq; naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratię, & fulgore virtutis.* Ideſt Sanctos,& Angelos.

Bonauẽtura Fidãza S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Albanẽſis,creatus à Gregorio X.in *Spec.Virginis,lect.2.*de Beata Maria, inquit, *Videtis ergo cariſſimi, quomodo Maria,propter culpę carentiam, & immunitatem, meritò per Aue ſalutatur.* Et *Serm. 2. de Beata Virg.* ait, *Dico primo, quod Dominà noſtra fuit plena gratia pręueniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicèt pręſeruatiua contra fœditatem originalis culpę, quam contraxiſſet, ex corruptione naturę,niſi ſpeciali gratia pręuenta, pręſeruataq; fuiſſet. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa Mater eius Virgo. Credendum eſt enim, quod nouo ſanctificationis genere, in eius Conceptionis primordio, Spiritus Sanctus tam à peccato originali (non quod infuit, ſed quod infuiſſet) redemit, atq; ſingulari gratia pręſeruauit, & de hoc poſſet exponi illud Eccleſ. c.26. Gratia ſuper gratiam mulier Sancta, & pudorata.* Ex Angelo Rocca, Angel.R. Romæ impreſſ. 1596. & prius Baſileæ,1502.

Petrus Aureolus Archiepiſc. Aquenſis S.R.E.Cardinalis, creatus à Ioanne XXII. *3. Sent. diſt. 3. qu.1. art.4.*ait, *Teneo tamen piè, quod non contraxit originale peccatum,& ſic piè credo, & teneo, quod B. Virgo non contraxit originale, & adduco rationes ad hoc,&c.*

Nico-

Nicolaus Cusanus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S.Petri ad Vincula, creatus à Nicolao V. *Serm. super Verba, sicut Lilium*, ait, *Sola igitur gloriosissima Virgo non reperitur tempore vllo, peccato subiacuisse*. Hæc *lib. Excit.* 8. & *lib.* 10. *Serm. Qui me inueniet, &c.* inquit, *Cum igitur sic legatur Concepta Maria, sine voluptate Viri, & carnis, sicut tempore Innocentiȩ concepti fuissent, sine peccato, idest sine originali peccato, quod voluptatem comitabatur, ipsam conceptam, non ineptè credere possumus.*

Marcus Viguerius S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S.Mariæ Transtyberim, creatus à Iulio II. *Decachord. Christ. Chord.* 3. *cap.* 7. inquit, *Attende, quæso, quàm congruè Sancta Maria Filium nominare possit Iesum, & dicere illum Saluatorem suum; Dum concepta sum, me ab originali peccato seruauit illæsam, ruina pro Lege communi mihi iam comminanti, nisi me subtraxisset, humana pro conditione commisissem.*

Ioannes Fischerus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis, creatus à Paulo III. *lib. cont. Luther. c.* 17. ait, *Et primum id ambiguum esse nemini potest, quantum ad gloriosam Christi genitricem, quæ neuo quouis, & labe caruit, tam originalis, quam actualis peccati.*

Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis S. E. R. Cardinalis Maior Pœnitentiarius, creatus à Pio IV. *Confess. Cathol. Fid. cap.* 60. inquit, *Plenior itaq; gratia fuit Maria, quam omnes alij, cum sola sit, quam omni peccato fuisse vacuam, persuasum habemus.*

Franciscus Toletus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Transpontina, creatus à Clemente VIII. in *Luc. c.* 1. *Adnot.* 119. inquit, *Quamuis Mater Dei fuit sine peccato originali concepta, id tamen fuit ex priuilegio, non ex gratia propagationis.* Et in *cap.* 5. *Ioann.* ait, *B. Virgo eam sortita est gratiam à Filio, quæ omne peccatum impediuit, ne enim originale contraxit, nec vllum actuale, non solum veniale, admisit.*

Rober-

Robertus Belarminus S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S.Mariæ in Via,creatus à Clemente VIII. *tom.4.Controu. lib.* 4. *cap.* 16. ait,*Sine peccati originalis macula existimamus Animam B. Virginis, in ipso, & primo instanti suæ creationis, & infusionis in Corpus, ita vt nunquam persona illa actu existens peccatum habuerit*. Et *cap.* 15. Ex verbis Ioannis Damasceni, inquit, *Mariam Virginem non prius accepisse naturam, quam gratiam*.

Dominicus Gymnasius S. R. E. Episcopus Cardinals Ostiensis, & Velitrensis, creatus à Clemente VIII. in *Psalm. Dauid, Psalm.* 45. ait, *Adiuuabit te Deus mane diluculo, Quid mane diluculo, nisi in primo instanti, in principio tuæ Sanctissimæ Conceptionis per gratiam Dei ab immunditia originalis peccati præseruata?*

Patriarchæ Orthodoxi Decem.

Athanasius Patriarcha Alexandrinus, *t.* 2. *Serm. de Deipara,Variegata,* inquit (loquitur de Virgine B.) *quantū attinet ad ossa Sanctissima,quæ eius carnem suffulciunt, non ex carne, sed ex ossibus eius,veluti ex veteri Adam, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirùm istam Incarnationem,eamq; semel indutam perpetuò gestat,&c. Dicamus eam igitur iterum, atq; iterum, & semper vndequaq; Beatissimam*. Et *Serm. de Descript.Domini nostr.* ait, *Virgo enim Scrinium incontaminatum permansit; secundum Cælum nunquam est contaminatum. Vas illud,quod Deum continuit, nunquam est conspurcatum.*

Ioannes Chrisostomus Patriarcha Constantinopolitanus,in sua *Liturgia*,inquit,*Laudare te, æquum est, Deiparam, quæ semper beanda es, & omni ex parte inculpata, & à reprehensione aliena, Et Mater Dei nostri,Cherubim præstantior, & Seraphim sine comparatione gloriosior*. Insuper ait. *Sanctissimæ impollutæ, supra omnem modum benedictæ, gloriosæ nostræ Deiparæ, & Virginis Mariæ, omni ex parte, sanctæ,intemeratæ.*

Sophro-

Sophronius Patriarcha Hierosolimitanus, *Orat. in Encom. Angelor.* loquendo de Archangelo Gabriele, sic ait, *Qui Beatissimam, inculpatissimamq; Sanctissima, purissimaq; Domina nostra Genitricis Dei Maria, Animam lęta Annunciatione ingenti gaudio imbuisti, Euaq; tristitiam, eiusdemq; luctum, certa salutis sponsione in lætitiam transformasti.*

Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in *Ioan. lib. 6. c.*15. inquit, *Omnes homines, illo excepto, qui de Virgine natus est, & Sacratissima Virgine, de qua Deus prodijt in Mundum, excepta, cum peccato originali nascimur, & grauissima cęcitate depressi in Mundum venimus.* Et *hom. 6.* habita *cont. Nestor. in Synod. Ephes.* inquit ad Virginem, *Salue Sancta Deipara, pretiosus totius Orbis Thesaurus, lampas inextinguibilis, &c. per quam Diabolus tentator Cœlo decidit, &c. Quis vnquam de Architecto audiuit, qui suipsius Templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit?* A multis citatur, *lib. cont. Nestor.* dicens, *Propter Filium temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, aut peccatum.*

Proclus Patriarcha Constantinopolitanus, *hom. de D.N. Iesu Christi Natiuit. in Concil. Ephes. t. 6. cap. 7.* ait, *Nullam inde ille contraxit labem, quod inter viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, habitat, &c. Quam enim contra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque, nulla macula contracta, processit.*

Anastasius Synaita Patriarcha Antiochenus, *Anagog. Contempl. lib. 4. Ex secunda Eua*, inquit, *Christus tanquam ex quapiam plena Luna, Maria, quæ nunquam minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine.* Quamuis hic loquatur de Virginitate. Et *lib. 6.* ait, *Et quis (mihi dic quæso) aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus, audebit dicere quod ea, quæ est simul cum Deo essentiæ (quoad carnem attinet) non sit ad Imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsa est natus? Quomodo enim est Mater huiusmodi non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui Imaginem?*

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, *Orat. de Sum.*

Sum. & Vener. Dei Matr. Natali, inquit, *Vidisti quot Partus Annæ contineat Misteria? Vt quâ suæ fœtationis excellentissimo miraculo, eas, quæ olim steriles fuerunt, superauit, & quâ dignitate fuerit Puella hæc Dei Virgo diuinitus Nomen sortita, omni puritate fulgens Maria?* Et ibidem ait, *Hæc est Dei Mater Maria, commune omnium Christianorum perfugium, prima primi lapsus primorum Parentum præseruatio, lapsi generis in rectum statum renouatio*. Et *Serm. de Zona Virgin. Deipar.* ex Laurentio Surio, 31. *Augusti*, inquit; Laur. Su. idem Germanus, *Puritatem omnibus antecedentem Mariam nulli penitus culpæ affinem*.

Dionysius Patriarcha Alexandrinus, *Epist. cont. Paul. Samosat.* inquit, *Et Matrem incorruptam à pedibus vsque ad Caput, benedictam seruauit*. Similitèr inquit, *Vna autem & sola Virgo Filia Vitæ genuit Verbum Viuens*.

Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, *Fascicul. Amor.* inquit, *Nemo ab ipso Mundi initio, vsq; ad temporis plenitudinem (dumtaxat Mediatore, eiusq; Genitrice exceptis) iugum dominationis eius (idest Diaboli) euasit*. Et *Serm. de Annunciat. B. Mariæ Virg.* ait, *Ab ipsa namq; sui Conceptione in benedictionibus est preuenta dulcedinis, atq; à damnationis aliena Chirographo, prius est sanctificata, quam nata. Erat planè, sicut à carnis colluuione immunis, ita ab omni peccati labe extranea*. Et de *Casto Connub. c.7.* inquit, *Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia polleat sanctitate, liber extitit; quot quot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis dumtaxat Mediatore Dei, & hominum homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi. Ecce in iniquitatibus conceptus, &c.*

Petrus Paludanus Patriarcha Hierosolimitanus, *Enarrat. 1. de Concept. Mariæ*, inquit, *Ipsa verò Virgo Beata speciali priuilegio fuit præseruata; quod considerans Salomon in spiritu, dixit, Cant. 4. Tota pulcra es Amica mea, & macula non est in te. Nam si vnquam fuisset in peccato originali concepta, non posset pro eodem tempore dici immaculata.*

Archiepiscopi Decem.

AMbrosius Archiepiscopus Mediolanensis, in *Psalm.* 118. *Serm.* 22. inquit, *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est, Suscipe, non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et in *Luc, lib.* 2. Ostendens Virginem prius alijs fructum Redemptionis suscipisse, ait, *Nec mirum, si Dominus redempturus Mundum, diuinam operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus Mundi parabatur, eadem prima fructum hauriret ex pignore.* Immo, à Virgine, inquit hoc proferri, *Generationis meæ in te priuilegia recognosco, quam nulla potuit macula inquinari peccati.* in *Psalm.* 40.

Petrus Chrisologus Archiepiscopus Rauennatensis, *Serm. de Annunciat. num.* 140. ait. *Peruolat ad Sponsam festinus interpres, vt à Dei Sponsa humanæ dispensationis arceat, & suspendat affectum, neq; aufert à Ioseph Virginem, sed reddit Christo, cui est in Vtero pignorata, dum fieret.*

Andreas Archiepiscopus Cretensis in *Salutat. Angel.* inquit ad Virginem, *Gaude electa à Deo antequam genita, &c. Gaude Sancta Terra Virginea, ex qua nouus Adam formatur: qui veterem Adam seruet.*

Idelphonsus Archiepiscopus Toletanus, *lib. de Virgi nit. Mar.* inquit, *Sed quia tam solemniter colitur, constat e auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est subiacui delictis. Nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum* Et inferius, *Constat eam ab omni originali peccato fuisse im munem, per quam, non solum maledictio Matris Euæ solut est, verum etiam & benedictio omnibus condonata.* Et pli rice hoc idem prædicat.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, *lib. de Concep Virginal. c.* 18. inquit, *Quamuis ergo de mundissima Vi gine Filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ex nece sitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles r*

tionabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret; sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium, quem de Corde suo, æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemq; communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat. Et in *lib.de Excellent. Virg.* inquit, *Nec dubium Sanctissimum Corpus, & Sanctissimam Animam funditus ab omni fuisse peccati macula Angelorum custodia protectam, vt potè Aulam, quam suus, & omnium Creator Deus corporaliter habitaturus.* Et in pluribus alijs locis idem fatur, sed præcipuè *Epist. 1. ad Corinth. c. 5.* vbi inquit, *Omnes itaq; mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto (dempta Matre Dei) siue originalibus, siue etiam voluntate additis.*

Iacobus de Voragine Archiepiscopus Ianuensis, *Serm. de Annunciat. in Verba Cant. Tota pulcra es Amica mea, & macula non est in te, &c.* inquit. *Ipsa enim fuit pulcra, quia sine peccato originali; Tota pulcra, quia sine peccato mortali; & sine macula, quia sine peccato veniali.* Et *Sabat. Dom. 2. Quadrag. serm. 2.* quasi idem dicit, *Ipsa fuit tota pulcra, quia in carne, & Anima ab omni originali aliena*, & superius, inquit, *Fuit enim sine peccato mortali, originali, & veniali.*

Isidorus Archiepiscopus Thessalonicensis, *Orat. de Ingress. Virg. in Sanc. Sanctor.* inquit, *Decebat etiam, &c. vt qua fieri posset, illa purissima, Propheticum quoque illud euitare posset, In iniquitatibus conceptus sum, possetque de se ipsa affirmare solum, Non in peccatis concepit me Mater mea. Nimirum hoc etiam numerando inter illa, quæ dictum illud complectitur. Quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentinus, *Super verba Psalm. 75. Factus est in pace locus eius, Conc. 3. de Natiuit. Virg.* inquit, *Non enim decebat Sanctuarium Dei, Domum Sapientiæ, Reliquiarium Spiritus Sancti, Vrnam*

 Manna,

Manna Cælestis aliquam labem in se habere, propter quod, antequam Anima illa Sanctissima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fęce, & labe. Et Anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est, factus est in pace locus eius, idest Domus diuinæ Sapientiæ sine omni fomite peccati formata est.

Claudius Saissellus Archiepiscopus Taurinensis, *lib. de Tripl. Stat. Viat. Etholog. in Luc. tract.* 5. inquit, *Mariam Christi Matrem, & si ab æterno, & ante omnia sæcula præ mortalibus cunctis, à Summo Deo selecta sit, ab omnique culpa reatu seruata immunis, quippè cui in instanti Conceptionis, & in ipsa Animæ infusione diuinæ gratiæ, quam creatura capere poterat, collata sit plenitudo.*

Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanvs, *Disputat. pro Immacul. Concept. B. Virg. ad Concil. Trident.* ait, *Nos verò gratia, & merito Filij eius Domini nostri perspicientes, contra asserimus, ita vt liberam illam, & liberatam ab ea Lege omnino constituamus. Dico liberam, quia Dominus non inclusit Matrem sub illa Lege. Dico liberatam, quia, ne concluderetur, fauor fuit, prærogatiua fuit, Priuilegium fuit. Alij omnes fuerunt in ea Lege conclusi.*

Episcopi Latini Decem.

C. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, *Serm. de Natiu. Christi; Spiritu Sancto,* inquit, *Obumbrante, incendium originale extinctum est; Ideoque innoxiam affligi non decuit. Nec sustinebat Iustitia, vt illud Vas electionis communibus laxaretur iniurijs, quàm plurimum à cęteris differens, natura communicabat, non culpa.*

Augustinus Episcopus Hipponensis hoc idem sentire videtur, *lib. de Nat. & grat. cont. Pelagian. c.* 36. quibus oppugnans (de peccato originali sentiens) Neminem esse sine peccato, neq; infans, &c. ait, *Excepta itaq; Sancta Virgine Maria, de qua propter honorē Domini, nullā prorsus, cum de peccatis*

agitur,

agitur, habere volo quaestionem. Vnde enim scimus, quod ei plus gratiae collatũ fuerit, ad vincendũ, omni ex parte, peccatũ. Quae auctoritas intelligitur de omni peccato. Et *lib. quinq; Haeres.* inquit de Christo Domino, *Ego Matrẽ, ex qua nascerer, feci, Ego Viã meo itineri praeparaui. Hanc quã tu despicis, Manichae, Mater mea est, sed de manu fabricata est mea. Si potuit inquinari, cum eam facerẽ, potui in illa inquinari, cum ex ea nascerer.* Sic à multis legitur, vt obseruauit Veglensis, *Opusc. Praecursor c.* 3. Et *Serm.* 20. *ad Fratres, de Natiuit. Dom.* ait, *Et sicut in Caelo Filius habet Patrem immortalem, & aeternum, sic & in terra habuit Matrem omni corruptione carentem. Igitur in Caelo qualis est Pater, talis est Filius: Et in Terra, qualis est Mater, talis, secundum carnẽ, est Filius.* Et inferiùs, *Propterea,* ait, *Maria Mater electa est, & super omnes creaturas praelecta, omnibus gratijs faecundata, omni virtute, & sanctitate in Vtero repleta, vt de mundissima Matre mundissimus Filius nasceretur.*

Fulbertus Episcopus Carnotensis, *Serm. de Natiu. Sanctiss. Virg.* ait, *Hoc igitur, cum primis astruere fas est, quod Anima ipsius, & Caro, in qua elegit sibi habitaculum Sapientia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuerunt, affirmante Scriptura, quod in maleuolam Animam non intrabit Sapientia.* Et in *Salut. Angel.* ait, *Aue Maria. Tu es insignis inter Filias, quae immaculata semper extitisti ab exordio tuae creationis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis.*

Albertus Magnus Episcopus Ratisiponensis, *Tract. de Laudib. Virg.* inquit, *Fuit etiam Maria liberrima in substantia, quam facit immunitas à peccato, & gratiae plenitudo, nam vbi Spiritus Domini, ibi libertas, &c. Si ergo Seruus, qui est Serui Filius, liberatur, multò fortiùs Mater Filij liberrima fuit. Hoc dicimus, quia B. Virgo, secundùm omnem dignitatem, & nobilitatis modum, fuit nobilissima, & dignissima in summo.*

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, *Paradox.* 1. *c.* 2. inquit de B. Virgine, *Fui enim à peccati originalis macula prorsus, immunis.* Et in *Exod. c.* 34. *qu.* 8. ait, *Huius opinionis assertorem, donec Ecclesia, &c. oppositum definierit, me esse profi-*

profiteor, Et *lib. Numer. c.* 14. *qu.* 59. inquit, *Nullus apud te innocens est; idest, quamquàm aliquis sit apud Deum simpliciter innocens, mundus ab originali, & actuali labe, tamen hoc non est per se, idest non habet aliquid à seipso, sed à Deo. Et ita de Beata Virgine, quod licèt ipsa sit simpliciter innocens apud Deum, idest nullam labem actualem habuerit, nec originalem contraxerit, tamen non est per se innocens, idest non habet à se ipsa hac, sed quia Deus, illi speciali priuilegio tribuit, alioquin peccatum originale, sicut cęteri contraxisset.*

Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, *super Magnificat.* ait, *Et sic conceditur, quod Virgo Maria, quo ad Animam fuit concepta in gratia, præter omnem culpam originalem, quam cęteri personaliter in sua animatione, ex carne libidinosa, traxerunt, Et hoc sufficit ad præseruandam Virginem ab omni originali culpa, & veniali, & mortali.* Et in *Psalm.* 44. inquit. *Virgo Maria, non solum ab actuali, sed etiam ab originali peccato, fuit per gratiam præseruata.*

Robertus Caracciolus Episcopus Aquinatensis, *Serm. in Fest. Annunc.* Super Verba *Apocalip. c.*18. *Veh, Veh, Veh, habitantibus in terra*, inquit; *Fuit ergo B. Virgo sine primo Veh ærumnæ concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est, Cant.* 4. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te*, Et *Serm.* 24. *de Concept.* ait, *Beata Virgo sanctificata fuit, & nos dicimus præseruata à peccato originali, quantùm ad maculam personalem, ex pietate, & singulari deuotione cogimur acceptare sic fecisse Deum, sicut facere potuit, & Virginem Adæ Filiam à peccato præseruasse.*

Aloysivs Lippomanus Episcopus Methonensis, *Caten. in Genes. c.* 15. inquit, *Sunt autem Protectionis Diuinæ diuersi gradus. Nam Beatam Dei Genitricem, non solum ab omni mortali, & veniali, sed etiam ab originali peccato protexit, vt B. Thomas sup.* 1. *Sent. qu.* 1. *dist.* 44. *art.* 3. *ad terti. dicit, Potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius, &c.*

Fede-

Fridericus Nausea Episcopus Viennensis, *Explicat. Salut. Angel.* inquit, *Nonnè plena gratia fuit Maria, quæ tantæ fuit ex utero puritatis, ut nullam peccati unquam, nec originalis, nec venialis, nec mortalis maculam senserit, aut contraxerit, &c. Quod ab initio suæ benedictæ Conceptionis cum ea fuerit Dominus, secundum quod dixit Propheta, Dominus possedit me.*

Consaluus Durantes Episcopus Vallensis, in *Reuelat. S. Birgittæ, lib. 1. cap. 9. num. 5.* in verbo, *Sanctificaretur*, inquit, *Quid per sanctificationem in præsenti nota intelligendum sit, tradidimus lib. 6. Reuelat. cap. 49. not. 1. quo loco affirmauimus per sanctificationem, hoc capite intelligendum esse ab originali peccato præseruationem, ac diuinæ gratiæ collationem. Quandoquidem Beatæ Birgittæ diuinitùs reuelatum fuit Mariam Virginem peccatum originale non contraxisse.*

Episcopi Græci Decem.

GRegorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsareensis, *Serm. de Annunc. B. Virg.* inquit, *Conuenientèr igitur Angelus, &c.* ait, *Aue gratia plena, Dominus tecum, Significauit, quoniam cum ipsa totius gratiæ Thesaurus reconditus erat. Ex omnibus enim generationibus, hæc sola Virgo Sancta corpore, & spiritu existit.* Et *Serm. de Gabriele*, ait, *Missus est seruus incorporeus ad Virginem inuiolatam, atq; immaculatam. Missus est à peccato liber, ad eam, quæ omnis corruptionis est expers.*

Methodius Martyr Episcopus Patarensis, de *Sanc. Hypapan.* inquit, *Qui dixit, Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut decretum à se promulgatum obseruaret, atque adeò in hac parte aliјs excelleret, omnem gratiam, & honorem Matri impendit.* Ex Henrico Encelgrauio *Cœlest. Pan' Fest. Concept. §. 2.* ad idem probandum. Henr. En.

Epiphanius Episcopus Cyprius, *Serm. de Laudib. Virg.*

de

de eadem inquit, *Sola (Deo excepto) cunctis superior existis, natura formosior est ipsis Cherubim, & Seraphim, & omni Exercitu Angelorum. Nihil quicquam polluit; Quam enim, citra vllam sui labem, creauerat, ex hac etiam, nulla macula contracta, processit.* Et inferiùs, *Sublimior Angelis facta est, Superior Cherubim, placens Christo Regi, à Deo in honorem habita, tanquam Ancilla, & Mater Sancta, Mater Immaculata.*

Basilius Magnus Episcopus Cęsareensis in sua *Liturgia*, inquit, *Præcipuè Sanctissima, impolluta, per quam Benedicta, Gloriosa Domina Deipara, & semper Virgo Maria.*

Gregorius Episcopus Nazianzenus *ad Nemesium*; *In multorum hominum ore*, inquit, *hic sermo versatur Dei hominem; idest Christum ex Virginis sinu ortum esse; quem Spiritus Sanctus cum Dei magno Templo coagmentauit, Templum Sanctum extruens, Mater enim Virgo Templum Christi fuit, Christus autem Verbi.*

Amphilochius Episcopus Iconiensis, *Orat. in S. Deipara. Qui enim*, ait, *antiquam illam Virginem sine probro condidit, ipse & secundam sine nota, & crimine fabricatus est. Qui, quod est de foris, pulcrè, etiam, quod intus est, ad Domicilium Animæ sanctæ perornauit. Quid stultè à Veritate dissentis, Deique placitum in Sanctissima Virgine ad communem salutem prouidè dispositum detrectas, atque renuis?* vel, vt alij vertunt clariùs, *Qui primam Virginem in innocentia condidit, ipse paritèr secundam sine macula fabricauit.*

Theodotus Episcopus Anciranus, *hom. 2. in Concil. Ephes. t. 6. c.* 10. Comparando Virginem ad Rubum, inquit, *Dic obsecro, Vtrum est vilius Rubus ne, an Vterus Virgineus ab omni peccati affectione immunis? &c. Quare Rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen qua ignis natura fertur, non operatur. Nonne Virginem in Rubo animaduertis, &c.*

Anti-

Antipater Episcopus Bostrensis, *hom. in Salut. Angel.* inquit, *Beata Virgini dixit Angelus, Ne timeas Maria, Inuenisti gratiam, quam perdidit, quæ primùm fuit creata fœmina. Illa sola suscepit deceptionem, Tu autem sola attulisti solutionem deceptionis*; Et priùs, *Quæ est ista Virgo, quæ visa est præstantior cunctis Potestatibus?* Sed prima fœmina, nempè Eua perdidit gratiam originalem, ergo secunda fœmina, Maria Virgo istam gratiam inuenit.

Theophanes Episcopus Nicænus, in *Menæis* 23. *Febr. Ode* 4. *de S. Policarpo*, inquit, exclamans ad Virginem, *O à cunctis sordibus incontaminata, & super omnes inculpata, inculpatissima Domina*. Et *Die* 25. *Martij, hom. de Annunciat.* ait, *Quoniam verò decretum hoc suum, scilicèt Incarnationis, cum ab ipso Satana, tum à Cælorum quoq; Virtutibus ignorare voluerat, primò quidem prouidentia singulari perfecit, vt Sacra Virgo ab ipso Vitæ suæ principio, tam omnino existeret pura, quam esse puram decebat illam, quæ tanto bono, idest Christo, digna existeret*.

Georgius Episcopus Nicomediensis, *Serm. in Concept. & Natiuit. Sanctiss. Mar. Deipar. Angeli eius*, ait, *quæ Angelis erat nobilior, concipiendæ faustas afferunt annunciationes; Prænunciant Angeli soluendam sterilitatem, ac per eam disiectum iri medium peccati parietem prædicunt, Angeli in expectatam eius Conceptionem proemio loquuntur, quæ mirabilem, & ineffabilem Conceptionem nouauit*.

QVINTA CHORDA, VEL VIA.

Decem complanata Vniuersitatibus. *Diligentia Recipientium.*

Credendum Communitatibus, inquit Scotus, vbi supra, & præcipuè quando Communitas tota approbat credendum, ac maximè si aliqua Communitas honesta, & famosa illud approbandum recipit omni possibili diligentia. Quod de Sacra Scriptura exploratum Scotus.

O habe-

habemus. Quis poterit Hebræorum sollicitudinem na rare circa libros habendos in Canone? Quanta fuit Chr stianorum diligentia pro libris autenticis habendis? Qu mobrem in Generalibus Concilijs,& in Summorum Por tificum Constitutionibus, sæpè sæpiùs eorum Numeru
Auguſt. approbatus est. Quocirca Augustinus, *lib. de Vtilit. cr den. c.* 4. ait, *Tenet me in Ecclesia consensus Populorum, at gentium, tenet auctoritas, miraculis incohata, spe nutrita charitate aucta, vetustate firmata.* Optime Deus Immo talis, quot, quot Communitates, quanta Communit tum diligentia, Prouinciarum,ac Regnorum cura habi est pro veritate Immaculatæ Conceptionis B. Virgir sustinenda, colenda? Quot famosæ Doctorum Vniuer tates, quot Principes Supremi tam Græci, quam Latir Germani, Galli, Hispani, Poloni, Veneti, ac Itali omn & penes Vniuersi in omnibus Mundi partibus, immo r motioribus,fideles, Mariam innocentissimam, immun ab originali macula conceptam adorant, venerantur, eius festum,solemnissimo Ritu hilaritèr celebrant. Pr ter quod non ampliùs de hac veritate dubitandum e demonstrabimus. Quod priùs ab Angelis in Eccl triumphanti festum hoc Immaculatæ Conceptionis ce
Vinc. Fer. bratum fuerit, est Sententia D. Vincentij Ferrerij, *Se de Natiuit. B. Virginis*, qui dicit, quod statim, postqu Corpus Virginis fuit formatum, & Anima creata, t fuit sanctificata, statim Angeli fecerunt sanctificatic festum: Sanctificatio hic accipitur pro sanctificantis praeseruantis gratiæ infusione, & collatione, vt ex ve eiusdem superiùs relatis manifestissimè apparet. Ab minibus autem hæc veritas primitùs recepta fuit in l pania, tempore scilicet Iacobi Apostoli, qui han prædicauit veritatem, & festum celebrauit, sic a
Flau. De. Flauius Dexter Præses Barchinonensis, *Cronic. ad H nymum ann.* 308. inquiens, *A Iacobi prædicatione celeb in Hispania festum Immaculatæ Conceptionis Dei Geni Mar.*

Mariæ. Quæ verba non ſunt intelligenda de Conceptione actiua, qua Chriſtum Virgo concepit, ſed de paſſiua, qua, ipſa Sanctiſſima Maria in Sacrato Annæ Matris vtero concepta fuit. Non ſine ratione igitur Hiſpani præcipuum Immaculatiſſimæ Matri Virgini ſine labe conceptæ iugitèr obſequium exhibent. Quidquid dicat Franciſcus Biuarius, in *Coment. Flau. Dexter*. Quoniam huiuſce Auctoris verba ſunt, *Immaculatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ*, & non *Conceptionis Verbi Dei Filij Mariæ*; cuius feſtum celebratur *Die* 25. *Martij*, & non 8. *Die Decembris*, Et Deuotio Hiſpanorum eſt, (vt conſtat) de paſſiua, non de actiua Conceptione. Verum ſi ad alia tempora feſtum hoc Conceptionis referre velimus, fuerunt huiuſmodi Miſterij puritatis amatores, ante mille annos, & ampliùs, ſcribit Petrus Galatinus, *lib.* 7. *c.* 5. Baronius in *Adnotat. ad Martyrol. Roman.* refert Emanuelem Imperatorem Conſtitutionem quandam circa feſtum Conceptionis ediſſe; quam refert Theodorus Balſamon in *Monocan. Photij t.* 7. *c.* 1. Immò dicit extare de Conceptione B. Mariæ ſermonem à Leone Imperatore factum; aliumq; à Georgio Nicomediæ Epiſcopo manuſcriptos, in Bibliotheca Sfortiana aſſeruatos; & Petrus Caniſius, *lib.* 1. *de B. Virg. c.* 7. affirmat Damaſcenum Ioannem, qui floruit circa *ann.* 720. (hoc priùs illo ſentit Gregorius Neoçæſarienſis) in ſuo Martyrolouio adnotaſſe Diem Conceptionis Mariæ cum præpoſito epitheto, *puræ*. Celebrabant igitur Græci hanc ſolemnitatem, ſicut modo celebrant, ſed poſtera die, non ſolum illi, qui Eccleſiæ Romanæ Matri Vniuerſali coniuncti ſunt, verum etiam illi, qui ab vnione eiuſdem receſſerunt Eccleſiæ. Eſt qui antiquo tempore, etiam apud Afros, Aegyptios, Armenos, & Abyſſinos hanc feſtiuitatem Immaculatæ Conceptionis Dei Matris celebratam fuiſſe, tradit, ſed in hoc conſulat Deuotus Lector Petrum de Oyeda, *tract. de Concept. c.* 3. & 5. qui eamdem feſtiuitatem nititur probare antiquitùs eſſe celebratam, vt ex

Franc. Bi.

Petr. Gal.
Baronius.

Petrus C.

Petr. Oy.

 Ioan-

Nieremb Io. Serr. Aeg. de P. Ioanne Eusebio Nierembergio, *De Perpet. Obiect. fest. Concept.* c. 1. & c. 9. Ex Ioanne Serrano, *de Immatulata Concept. lib.* 2. c. 9. Ex Aegidio de Præsentatione, *tract. de Immacul. Concept. lib.* 3. *qu.* 6. *art.* 1. §. 13. & ex alijs. Quod apud Latinos fuerit antiquitùs Deuotio hæc in Mariam Deiparam, habetur ex supranarratis, scilicèt Henri. G. tempore Caroli Francorum Regis; Sicut sentit etiam Hēricus de Gandauo, *Quolib.* 15. *qu.* 13. In Aragonia tempore scil. S. Isidori Hispalensis Archiepiscopi, qui floruit anno Veglens. circiter 646. vt notat Matthæus Veglensis publicus Theologus Patauinus *c.* 5. *Opusc. Præcursor de S. Conceptione Sacratissimæ, &c.* hæc deuotio viguit; à quo tempore fluxerunt *ann.* 1024. Quoniam vltra quæ diximus, tempore Ioannis Régis, qui anno 1400. regnabat; In Ciuitate Gerundensi ob Disputationem habitam de eadem Immaculata Conceptione, Frater Ioannes Minorita Virginis puritatem contra alitèr opinantes defendens, ann. 1409. fuit laureatus, & à Serenissimo Rege Diademate redimitus, cum illius, & aliarum Ciuitatum plausu; Quocirca festum Conceptionis purissimæ in toto Regno celebrandum, sta-Io. de Se. tutum est, & solennitas semper cum maxima deuotione iugiter celebratur; Ioannes de Segouia hoc etiam refert In Anglia celebrabatur ante tempora Anselmi; & in Gallia, ante tempora Bernardi, scilicèt ante annum 1145 vt deducitur ex eius Epistola ad Canonicos Lugdunenses.

In Italia cępit, & viguit paulatim, Nam præter quod diximus in *Chorda* 2. *Reuelat.* 2. & omissis Scoti temporibus, quando Scholæ robustissimè hanc veritatem pro Virgine defendere cęperunt: Sixtus IV. Summus Pontifex, qui Petri Cathedram ann. 1471. ascendit, vt veritas ista, & deuotio erga Deiparam Virginem Fidelium figeretur in cordibus, hanc stabiliuit solemnitatem Bullas edidit, Indulgentias concessit, & Officium recitandum à Clericis per D. Leonardum Nugarolam composi-

situm

ſitum ordinauit, approbauit, confirmauit, & ſic, vt Domino placuit, ſemper iſta deuotio in Dei Genitricem directa, & fundata per Vniuerſum Orbem (eodem diſponente Domino) incrementa ſuſcepit. Et quamuis Pius V. Summus Pontifex Officium transſmutauerit, tamen feſtum Conceptionis approbauit,& confirmauit.

Decem Vniuerſitates Publicæ, & Celebriores, ſapientiſſimorum Virorum ingenti copia refertæ, in quibus, bonarum Artium fructibus educantur, & imbuuntur Fideles, eamdem Virginis Beatiſſimæ puritatem, & Innocentiam ſuſtinent, docent, & prædicant; Pariſienſis, ſcilicèt, ſeu Sarbonica, in qua non ſolum enunciatur hæc veritas, ſed etiam profitetur, & iuratur; Cum illius Doctiſſimi Magiſtri ad Lauream Doctoralem neminem, quamuis eruditum hominem, admittant, niſi priùs Puritatem, & Immaculatam Conceptionem Mariæ Matris Dei, credere, docere, & defendere in profeſſione Fidei iurent. Sic Colonienſis, in qua etiam Scotus docuit, Valentina, Mugontina, Viennenſis, inquit Laurentius Chriſogonus, *Mund. Marian. p. 2. diſt.* 5. Salmaticenſis, Laur.Ch. Complutenſis idem etiam ad Baccalaureatus gradum decreuerunt, Louanienſis, Zamoſciana, Compoſtellana, & aliæ multæ extra Italiam in diuerſis Prouincijs, & Regnis, quæ idem docent, & ſuſtinent.

Decem etiam in Italia Vniuerſitates famoſiores, in quibus Scoticæ Doctrinæ Profeſſores Sacram Theologiam interpretantur, Immaculatam Virginis Conceptionem publicè profitentur, Romana ſcilicèt, Patauina, Bononienſis, Peruſina, Neapolitana, Papienſis, Ferrarienſis, Piſana, Senenſis, Panormitana, cum alijs Accademijs, & Gymnaſijs, in quibus Scotica declaratur Doctrina, quæ ob breuitatem, & numerum ſilentio teguntur.

Decem ſimilitèr S. Romanæ Eccleſiæ Religiones, (alias etiam inſignes reticendo) Dominicanam ſupra Nu-

merum

merum adnotando, quæ per Prædicatorum asserta, & Magistrorum scripta, hanc euulgauit.) Quæ manu, lingua, & ingenio pro Innocentia Virginis continuò laborant. Basiliana Religio, cuius Institutor fuit Basilius Magnus; Benedictina, cuius Institutor fuit Benedictus Nursinus; Eremitana, cuius Institutor Augustinus Afer Episcopus Hipponensis; Carmelitana, cuius Institutor Elias Propheta; Seruitana, cuius Institutor Philippus Benicius Florentinus; Carthusiana, cuius Institutor Bruno Coloniensis; Camaldulensis, cuius Institutor Romualdus Rauennas; Præmonstratensis, cuius Institutor Norbertus Coloniensis Archiepiscopus Magdeburgensis; Minima, cuius Institutor Franciscus de Paula; & Minoritana, cuius Institutor fuit Seraphicus Pater Franciscus Assisias, cum omnibus Minoritis eiusdem Sanctissimi Patriarchæ Filij, qui Puritatis, & Innocentiæ Deiparæ Virginis, Perpetui Defensores appellantur per Sum. Pontificem Iulium II. qui in Confirmatione

Io.Ba.Le. Regulæ Monialium, vt refert Ioannes Baptista Lezzana, *lib. Apolog. pro Immacul. Mar. Concept. c.* 2. Et Alphonsus

Tostatus. Tostatus, *Paradox.* 1. *c.* 21. appellant Minores Fratres Vir-

Anto. C. ginalis Munditiæ Defensores. Hinc Antonius Canut, *Mister. p. lib.* 1. *in Cap. Pulpit.* loquens de Religionibus, quæ Conceptionem Purissimam defendunt, & sustinent, Scoti Encomia pandens, inquit

Clarus in his statuit rigida quem Lege seuerum
Franciscus Pater, *ingentes ab origine prima*
Doctrina, & pietate Viros, cultuq; Mariæ
Semper, & immuni maculæ pro Virgine curis,
Hic Ordo tulit. Hos inter mirabile magno
Prodigium laude ingenij, Studioq; parentis
Virgineæ, labisq; odio quam fulmine sæuo
Acrior exclusit procul insuperabilis Heros
Marte pio, tercentum vno certamine tela,
Qui tulit, infregitq; potens rescindere Legem

Con-

Contracta Macula restem, & mox ferre coegit
Oppositam, qua clara docet Sorbona Mariam
Exemptam lue fatali, memorabile terris,
Dunnius, & pariter Cælo memorabile nomen.

Hæ Scoti laudes à pluribus narrantur, sed præcipuè à Ioanne de Meppis, *tract. de Immaculata Concept.* & ab alijs etiam ferè omnibus de hac materia tractantibus. Decem etiam Sacerdotum Religiones, Societates, seu Congregationes in Ecclesia Romana, Sanctitate, & Doctrina florentes in honorem Sanctissimæ Matris Dei publicè eam puritatem prædicant, & docent. Iesuitarum præcipuè, quæ ab Ignatio Loyola Hispano fundata est, cuius Filij eruditione clarissimi, & eloquentia facundissimi continuò lingua, & calamo pro Immaculata Mariæ Conceptione, die, noctuq; laborant gloriosè, quorum volumina non pauca numerantur. Somascorum Institutore Hieronymo Miano Veneto. Theatinorum Institutore Caietano Thienensi, vel Ioanne Petro Carafa Neapolitano, qui postea fuit Summus Pontifex, Paulus IV. vocatus. Clericorum Minorum Institutore Francisco Caracciolo Neapolitano. Bernabitarum Institutore Antonio Maria Zacharia Cremensi. Clericorum de Oratorio Institutore Philippo Nerio Florentino. Clericorum S. Mariæ Lucensium Institutore Ioanne de Leonardis à Decimo. Ministrantium Infirmis Institutore Camillo Lelli Aprutino, qui in die Immaculatæ Conceptionis. Vota emisit, quo die etiam eius Filij vota renouant. De Doctrina Christiana Institutore Marco Cusano Mediolanensi. Et Scholarum Piarum Institutore Iosepho Colesantio de Peralta Hispano; Ac omnes aliæ, si quæ sint, colunt, prędicant, & docent Conceptionem Immaculatam Sanctissimę Deiparę, vt apertè patet in earum Operibus, & Actionibus.

Io. de M.

At quoniam Regius Psaltes ad Laudes Deo canendas aduocat Regna Terrę, dicens *Psalm. 67. Regna Terræ,* Psalmus.

can-

cantate Deo, Psallite Domino. Quod etiã futurũ esse prædixit Isaias, *cap.* 49. inquiẽs, *Reges videbũt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominũ Deum tuum.* Immò vocat & Insulas, & Populos ad audiẽda, atq; contẽplanda Cęlestia, diuinaq; Misteria, dicens, *Audite Insulæ, & attendite Populi de Longè. Dominus ab Vtero vocauit me.* Nõ erit ab re, si Regna, Principatus, Insulasq; & Populos aduocabimus pro veritate Immaculatæ Conceptionis comprobanda, veneranda, & ad laudibus tantam Virginem efferendam, dum ipsam sine originali peccato adorant, & celebrant. Regna, quæ Catholica Fide illustrata Conceptionem Matris Dei purissimam venerantur, & eius festum solemnitèr celebrant, sunt Galliarum, Hispaniarum, Poloniæ, Portugalliæ, Neapolis, quod anno 1617. Votum emisit de Immaculata Deiparæ Conceptione colenda, & sub Duce de Ossuno Regni Prorege solemnissima Processio per Ciuitatem, cum pulcherrimo Apparatu, directa, completaq; fuit, bino Die. Aragonię, in quo (vt diximus hæc deuotio, floruit, viguitq; Bohemiæ, Granatæ, Hungariæ, & Angliæ. Est tamen aduertendum, quod si modo in aliquo Regno hæresis reperiatur, vt est Regnum Angliæ tamen ibi floruit hæc Deuotio, & à Catholicis, vel occultis, vel manifestis, etiam ad præsens prosequitur. Decem etiam Principatus, seu Ducatus consurrexerunt ad celebrationem tanti Misterij. Pręcipuè Bauariæ in Ciuitate Camboduni (vulgo Monaco) in qua Serenissimus Dux, & Sacri Romani Imperj Elector Maximilianus Regnantis Principis genitor, Columnã triumphalẽ in medio maioris Plateę Ciuitatis erexit, cũ Statua ænea Virginis Immaculatę publicè à fidelibus adorãdæ, cũ quatuor Angelis æneis per per Basis angulos dispositis, ad quã venerandã, & colendã, quolibet die Sabathi, sub tẽtorijs, deuoti confluunt Ciues, & adstantibus Serenissimis Principibus, maxima cũ humilitate, in honorẽ purissimę Matris Dei Litanię decantãtur, & Oratio deprecatoria deuotè recitatur.

Isaias.

Tanti

Tanti Principis in Cœlorum Reginæ obsequium his verbis in marmore incisis conspicitur.

D. O. M.
VIRGINI DEIPARAE
BOICAE DOMINAE BENIGNISSIMAE,
PROTECTRICI POTENTISSIMAE,
OB PATRIAM,
VRBES, EXERCITVS, SE IPSVM,
DOMVM, ET SPES SVAS,
SERVATA.
MAXIMILIANVS...

Haud Lectoris moueat animum, quod Conceptionis vocem in hac Inscriptione non videat, quoniam Hieroglyphica, quæ Angelorum pedibus subijciuntur, huiusmodi Misterium demonstrant, & *Psalmi* 90. verbis declaratur. Primus enim Angelus pede Serpentem terit, sub quo legitur, *Super Aspidem*. Alter Angelus Basiliscum pede supprimit, his verbis, *Et Basiliscum ambulabis.* Tertius pede Leonem sternit, sequentibus Prophetæ verbis, *Et conculcabis Leonem*. Quartus verò calcat pariter pede Draconem, cum vltimis versiculi verbis, *Et Draconem*. Quod Serpens, siue Aspis, Basiliscus, Leo, & Draco Dæmonem significent, Patrum Sanctorum testimonium clarum est. Quod Bellatrix inuictissima supra deuictos Dæmones ambulauerit, illosq; deuicerit, ac Auerni Serpentis caput contriuerit Virgo Maria, (vt supra dictum est) Sacra Scriptura testatur. Quod illa quatuor animalia per læthales proprietates, originalis culpæ malitiam indicent, compertum est. Aspidis Diabolus est, cuius venenum sine medela est: (dicunt naturales) Peccati originalis venenum solum priuilegio singulari, diuinoque vincitur. Basiliscus, qui dicitur Regulus volans, venenum in oculis habet, & aspectu interficit, Dia-

bolus est, qui per visum vetiti fructus, mulierem ir fecit, ob quam, (adhærente viro) per assensum vene natum cecidit genus humanum, lue culpæ originali conspersum. Leo rugiens qui circuit querens quer
2. Petri. deuoret, Diabolus est, Principe Apostolorum restante *Epist. 2. cap. 5.* qui sæuitia super omnia animantia pol lens Genus humanum aggressus, crudeliter momordi vsque ad animam per Iustitiæ originalis amotionem Draco animal pestiferum, & horribile, Diabolus est quo quid horribilius? Sed quid terribilius peccato origi nali, quo anima redditur otiosa Deo? Super Diabolur Virgo fortissima ambulauit, Satanam conculcauit, vi cit, quia nullum peccatum nec habuit, nec contraxit
Lauretus. Sed legatur Hieronymus Lauretus, Silua Allegoriar. *p.* & hæc Hieroglyphica declarata reperiet. Oratio auter recitari solita ante prædictam Columnam, & Virgini
Marrace. Immaculatam Imaginem registratur à Patre Marraccic *lib. Principes Mariani cap.* 11. §. 14. Quæ incipit, *Au Sanctissima, & gloriosissima Virgo, &c.* Sabaudiæ, Tu sciæ, nam in Ciuitate Pistorij, anno 1313. pro Bellorur periculis, & anno 1527. Die 11. Decembris, pr peste (à qua, Virginis Sanctissimæ, sub titulo, & Dc uotione Conceptionis, pietate fuit liberata) Ciue communitèr emiserunt Votum de festi Die celebrar do, Missa solemnitèr canenda, Conceptionis purissim Concione habenda, & de publica, ac festiua Prc cessione cum omnium Sæcularium, & Regularium, a cuiuslibet Magistratus accessu facienda, in tantæ Prc tectricis obsequium. Quorum omnium memoria asser uatur inter Libros Ecclesiæ S. Iacobi Apostoli, & i publica Ciuitatis Cancellaria. Saxoniæ, Lotharingiæ Lithuaniæ, Mantuæ, Neuburgi, Parmæ, Mutinæ, a aliorum Principatuum, sic itaque dicendum erit pr Virgine Matre, *Reges viderunt, & consurrexerunt Prii cipes.* Etiam Insulæ audierunt hoc Misterium; Præcipu

Insula

Insula Siciliæ, cuius Ciuitas Panormitana anno 1624. Iuramentum solemnitèr fecit de Immaculata Dei Genitricis Conceptione festiuè celebranda, quod publicè expressit Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Doria Panormi Episcopus. Et Messana Ciuitas, quæ de Epistola B. Virginis ad ipsam directa gloriatur, anno 1637. Die 9. Decembris, Decretum fecit de suscipienda, & colenda pro Patrona, Beatam Virginem Mariam sub inuocatione, & titulo Immaculatæ Conceptionis. Sardinia, Creta, Hybernia, Melita, cuius fortissimi Equites hoc Misterium venerantur; Corsica; Corcira; Chios; Zacinthus; Cephalenia, & aliæ plures. Populi de longe etiam attendere curarunt, quomodo in Vtero Matris Mariam in exordio sanctificauit Deus, eam à peccato originali præseruando. In tota Ditione S. Romanæ Ecclesiæ à cunctis Populis hæc Virginis Mariæ festiuitas celebratur. Romę, quæ totius Orbis meritò Caput, & Magistra Veritatis est; Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, mense Septembris, viuente Summo Pontifice Optimo Maximo Vrbano VIII. fœlicis memoriæ, pro Translatione Sacræ Imaginis gloriosæ Virginis sub titulo, & Deuotione Immaculatæ Conceptionis; quæ in Ecclesia S. Laurentij in Damaso honorificentissimè asseruatur, Processio solemnissima, cum pulcherrimo Apparatu, omnium Religiosorum comitatu, omniumque Fidelium plausu, ac iubilo, facta fuit. Ecclesia Patrum Capuccinorum in eadem Vrbe, sub eodem titulo Immaculatæ Conceptionis erecta fuit. Bononiæ ante Franciscanorum Conuentualium Aedes Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Benedicto de Vbaldis Legato, Columna marmorea, cum ænea Statua decreta, & erecta fuit, anno 1637. vt hac memoria patet sub Columna perpetuis futuris temporibus incisa, quod maxima cum lætitia totius Ciuitatis factum est.

D. O. M.
BENEDICTVS SS. VITI, ET MODESTI
DIACONVS CARDINALIS
DE MONALDOR. FAMILIA PERVS. ORTVS,
VT BENEFICI TESTATORIS AVVNCVLI
FRANCISCI VBALDI
SACRAE ROTAE ROMANAE AVDITORI
PRAECEPTVM IMPLEAT,
VBALDVS NVNCVPATVS.
EPISCOPVS PERVSINVS,
ET BONONIAE DE LATERE LEGATVS,
OB SVAM ERGA SACRVM
DIVI FRANCISCI ORDINEM
PROPENSAM VOLVNTATEM,
HANC COLVMNAM
IMMACVLATAE CONCEPTIONI
ERIGENDAM CVRAVIT.
ET CVNCTAE SVAE, SVAEQVE DOMVS
PROTECTRICI SIMVLACRO
PROPRIVM NOMEN
IN ADORATIONEM SVMMITTI VOLVIT;
CVMQ; GVBERNATAE CIVITATIS
TRANQVILLITATEM,
EIVSDEM VIRGINIS NVMINI ACCEPTAM
FERAT,
GRATIAM, QVAM ILLI HABET,
HOC MARMORE TESTARI IVSSIT,
ANNO DOMINI MDCXXXVII.
PONT. S. D. N. VRBANI PAPAE VIII.

In vniuersa Ditione Sacri Romani Imperij Solemnissimo Ritu Immaculatæ Virginis Mariæ puritas, & Innocentia celebratur, maximaque deuotione colitur, in cuius honorem Columna Triumphalis, Ferdi

nando

nando Tertio pijſſimo, inuictiſſimoque Imperatore; anno 1647. erecta fuit, cum hac Inſcriptione, Populo feſtiuè plaudente.

DEO. OPT. MAX.
SVPREMO COELI, TERRAEQ;
IMPERATORI,
PER QVEM REGES REGNANT,
VIRGINI DEIPARAE,
PER QVAM PRINCIPES IMPERANT,
IN PECVLIAREM DOMINAM
AVSTRIAE PATRONAM,
SINGVLARI PIETATAE
SVSCEPTAE
SE, LIBEROS,
POPVLOS, EXERCITVS,
PROVINCIAS,
OMNIA DENIQVE CONFIDIT, DONAT,
CONSECRAT.
IN PERPETVAM MEMORIAM
STATVAM HANC
EX VOTO PONIT
FERNANDVS TERTIVS
AVGVSTVS.

Qui pijſſimus Imperator etiam Votum emiſit, die 9. Maij eiuſdem anni in manu Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Viennenſis Philippi Friderici, ex Familia Breinerionum. Immo eius Imperatoris Auguſtiſſima Vxor Leonora Gonzaga habuit ab Cęſare Coniuge, vt in honorem Virginei Conceptus puriſſimi, per ſingulos Saturni dies, ad concinendas Virginis Litanias ſexcenti Rhenenſes, ſeu Tallari, ſoluerentur pro muſica modulatione. Sub Ditione Venetorum Conceptio puriſſima Matris Dei maximè colitur, quapropter Summus

Pon-

Pontifex Alexander VII. Officium cum Octaua ab omnibus Clericis, & Regularibus, & Sæcularibus recitandum concessit. In Ditione Liguriæ, quæ dicentur in Nona Chorda, eamdem deuotionem comprobant. In Insubria; In Ditione Lucensium; Ragusceorum, Heluetiorum, Rhætiorum, & Belgarum, ac etiam ab omnibus totius Orbis, immo à Fidelibus cunctis, etiam apud Infideles, Matris Dei pura Innocentia manifestatur, & veneratur.

Io. P. Ol. Hinc Ioannes Paulus Oliua Apostolici Palatij Concionator (vt in Tertia Chorda) *Conc.* 40. Hoc ex diuina Misericordia proclamauit. Et nos eadem moti ratione, possumus, quod ipsa humillissima Virgo cecinit, *Luc.* 1. affirmare. *Ecce enim ex hoc Beatam me dicunt omnes Generationes.* Quoniam pro tanta festiuitate iubilant extrema Terrę, & lętatur omnis Ecclesia Sanctorum, cum vbiq; locorum Templa, Altariaq; ædificentur, Dies festus solemniter colatur, & Sermones, Concionesq; à cuiuscumq; Ordinis Religiosis habeantur, Nec non & Anniuersariæ Processiones ordinentur. Si vellemus, non solum apud Franciscanos, sed etiam apud alios cuiuscumq; Ordinis, ac etiam Sęculares, Templa, Cappellas, Altaria, Confraternitates, & Oratoria iam in Orbe terrarum erecta, ac Indulgentias à Summis Pontificibus concessas recensere, Non Opusculum, sed grande volumen mea construeret imbecillitas. Quoniam, vt in Officio canit Sacrosancta Romana Ecclesia, *Conceptio B. Virginis Mariæ gaudium annunciauit Vniuerso Mundo.* Et idcirco per totius Orbis partes Conceptionis celebritas solemnissimè colitur, ac omnes illustrantur Ecclesiæ. Ad quam celebritatem eadem Sancta Mater Ecclesia Fideles inuitat exclamans, *Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus; Conceptionem Virginis Mariæ celebremus; Conceptionem B. Mariæ Virginis cum gaudio, deuotissimè, cum iucunditate celebremus.* Quoniam pura, quoniam Sancta, Innocens, & Immaculata; sic sonant verba Ecclesiæ;

Lucas. / Ecclesia.

CON-

CONCEPTIO EST HODIE SANCTAE MARIAE VIRGINIS HAEC NATA DEI SINE ORIGINIS, MORTISVE PECCATO.

In subiecta materia Anagramma purissimum est; Auctor ignoratur; quisnam fuerit, Deuotus Mariæ est. Hoc aliud à pio Religioso viro, ad idem per eadem verba purum factum est Anagramma.

VNA ES AMICA DEI SINE TETRO PECCATO ORIGINIS.

Ad tantæ Matris Gloriam, & laudem essent recensenda Videntis cęci Ioannis Baptistę Agnensis Anagrammata plurima, ac pura, ex his Salutationis Angelicæ verbis, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum*. Sed quia omnem sensum superant, relinquamus stupori, vel miraculo. Doctissimus Hippolytus Marraccius imprimi curauit. Legatur tantus Auctor Matri Mariæ addictus, mihi charitate coniunctus.

Io. B. Ag.

Hip. Mar.

SEXTA CHORDA, VEL VIA.

Decem munita Rationibus. Rationabilitas Contentorum.

Contentū rationabile in Sacra Scriptura, inquit Scotus, vbi supra, peculiare est, Deum tanquam vltimum finem diligere, & proximum sicut seipsum, ex quo sequuntur alia honesta, & rationi consona tanquam à Principio practico, quoniam ex principijs practicis practicę sequuntur Conclusiones. Quocirca ait Augustinus, *lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 28. Nihil enim eis turpe, ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur*. Contentum in hac assertione de Immaculata Deiparę Conceptione, quid aliud est, quam diligere Filiam Dei, Matrem Dei, Sponsā Dei, Angelorum Reginam, nostram Dominam? Augustam laudare, valde rationabile est; Augustam spernere, Ięsę Maiestatis crimen est. Si hanc de Virgine Beatissima veri-

Scotus.

August.

veritatem credimus; Imperfectionem Dei Matris non credimus, immo perfectionem prædicamus; Pulcrum omne, ac bonum fidelibus proponitur, narrantur miracula, & beneficia à Virgine postulantur, recipiuntur; Omnia rationabilia sunt. Sic igitur, dum Filij Dei dilectissimi omnipotentiam, Amorem, & in Matrem obsequij propensionem credibilem credimus, omnia rationabilia sunt. Hęc decem tantum Rationibus peculiaribus ex claro fonte Classicorum Doctorum haustis, totidemq; Canonicis, Ciuilibusque Legibus roborabimus. Prius tamen Decem probatiuas Consequentias congruentèr ex vocibus Sanctorum Patrum deductas breuitèr afferemus, ad maiorem, quam intendimus, veritatis manifestationem.

Probatiuæ Consequentiæ Decem.

And. Cre. PRima Consequentia, Andreas Cretensis, *Ode 6. in Can. de Concept.* vocat Virginem Deiparam, *Columbam*, de qua in *Cant.* habetur, *c. 2. Vnica est Columba mea.* (Cantic.) Noluit Deus, vt Columbæ speciem Serpens assumeret, quia Spiritus Sanctus, breui temporis spatio, Columbæ speciē sumpturus erat, vt inquit Magister in *4. lib. Sentent. dist. 21. Venit ergo ad hominem in Serpente, quia fortè in Columba specie venire maluisset, sed non erat dignum, vt Spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus Sanctus appariturus erat*; Quod etiam exprimit (Mag. Sen.) Hugo V. Hugo de S. Victore in *Genes. c. 3.* Igitur neq; debebat Serpens Animam Virginis per peccatum originale deturpare, in cuius vtero Dei Verbum per nouem Menses morari debebat, & Corpus de purissimis eius sanguinibus assumere; ergo dicendum est Virginem Mariam peccatum originale non contraxisse.

Secunda Consequentia, Thomas à Villanoua, *Serm. 3. de Natiuit. Virginis Mariæ*, vocat Mariam Sanctissimam, *Vrnam. Libro 4. Reg. c. 4.* ad dulcorandas aquas, Propheta dixit,

dixit, *Afferte mihi Vas nouum, & mittite in illud Sal.* Beata Virgo Maria debebat suscipere Sal infinitæ Sapientiæ Christum Iesum, qui Aquas peccatorum nostrorum amaras dulcorare debebat, Igitur Vas nouum, non antea aliquo alio repletum liquore venenato, esse oportebat, ergo peccatum originale non contraxit. 4. Reg.

Tertia Consequentia, Epiphanius, *Orat. de Laudib. B. Mariæ*, vocat Virginem Matrem, *Ouem*; in *Leuitic. c.*4. habetur, *Afferte Ouem mundissimam*, B. Virgo, quæ se obtulit Deo, & tanquam Ouis concipere, & parere debebat Agnum peccata Mundi tollentem (idest Christum Iesum) mundissima esse oportebat, ergo peccatum originale non contraxit. Epiphan. Leuitic.

Quarta Consequentia, Germanus Constantinopolitanus, in *Natiuit. B. Mariæ Virg.* vocat Dei genitricem Mariam, *Candelabrum* Domus Dei, Candelabrum, vt habetur *Exod. c.* 37. debebat fabricari ex auro mundissimo; *Fecit & Candelabrum ductile de auro mundissimo*: B. Virgo, quæ tanquam Candelabrum lumen Vniuerso Mundo effundere debebat, ex Carne, & Anima mundissima erat formanda; Ergo peccatum originale non contraxit. Germ. C. Exodus.

Quinta Consequentia, Ioannes Damascenus, *Orat.* 1. *de Dormit. B. Mariæ Virg.* vocat Almam Deiparam, *Mensam*. *Lib.* 2. *Paralipom. c.* 13. habetur, quod *Proponebantur Panes in Mensa mundissima*, B. Virgo, in qua debebat poni celestis Panis, qui dixit, *Ego sum Panis viuus, qui de Cælo descendi*. *Ioan. c.* 6. debebat esse mundissima, Ergo peccatum originale non contraxit. Io. Dam. 2. Paralip. Ioannes.

Sexta Consequentia, Gregorius Papa, in *Cant. c.* 4. vocat B. Virginem, *Coronam*; Coronam, qua coronari Reges solebant, mundam esse oportebat, sic habetur, *Zachar. c.* 3. *Ponite Cidarim mundam super caput eius.* B. Dei genitrix, quæ sua carne cingere debebat Regem, idest Christi Diuinitatem, tanquam Corona; Nam Ambrosius. *lib. de Institut. Virg. c.* 16. ait, *Beatus Mariæ Vterus, quæ* Grego. P. Zachar. Ambros.

tantum Dominum coronauit; coronauit, quando formauit, coronauit eum, quando generauit. Munda esse debebat, Ergo peccatum originale non contraxit.

Hieron. Septima Consequentia, Hieronymus, in *Psalm.* 77. vocat Mariam Virginem, *Nubem*; Voluit Christus Dominus, quod Apostolos suos cum ipso in Monte Sancto existentes, post reuelatam gloriam, & vocem Patris Aeterni

Matth. auditam, Nubes lucida obumbraret, *Matth. c.* 17. *Ecce Nubes lucida obumbrabit eos*. Virgo Mater debebat Filium Iesum suo Sanctissimo Vtero obumbrare, de quo fuit

Ezechiel. dictum, *Solem Nube tegam*, Ezechiel. *cap.* 32. Lucidam esse oportebat, Ergo non contraxit peccatum originale.

Anselm. Octaua Consequentia, Anselmus, *Hymn.* 1. *in Laud Deipara*, appellat B. Virginem *Thus*. Præcipiebatur in

Exodus. *Exod. c.* 30. à Deo, quod incensum in Templo Domini comburendum, & præcipuè quo Thimiama componebatur, lucidissimum esse debebat, *Sume Thus lucidissimum* Sanctissima Mater, ex cuius sanguinibus caro Christi formanda erat, lucidissima esse debebat. Ergo peccatum originale non contraxit.

Bernard. Nona Consequentia, Bernardus, *Serm.* 2. *de Assump B. Mariæ*, vocat Matrem Virginem, *Domum*: Hanc Filius

Prouerb. Aeterni Patris Sapientia sibi construxit; sic, *Prouerb. c.* 9 habetur, *Sapientia ædificauit sibi Domum*. Domum Sapientiæ Diuinæ decet puritas, Sanctitas, non culpa quæ Sanctitati Domus ædificandæ repugnat, *Domum*

Psalmus. *tuam decet sanctitudo Domine*, inquit Dauid, *Psalm.* 9 Ergo non contraxit peccatum originale.

Decima, & vltima Consequentia; Ab omnibus Christi fidelibus firmissimè sustinetur, & prædicatur, Christum Dominum nostrum verè Filium Dei esse, de quo, cum in Sacræ Natiuitatis nocte, de intactæ Virginis Matris vtero castissimo egrederetur, Ecclesia cecinit cum Pro-

Psalmus. pheta, *Psalm.* 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Verum tamen est, cum ob Resurrectione

idem

idem Dominus Iesus exiret de Sepulcro, Paulus Apostolus *Act. cap.* 13. inquit, *Resuscitans Iesum, vt in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus est tu, ego hodie genui te*, & Ecclesia canit, *Qui natus olim è Virgine; Nunc è Sepulcro nasceris*. Voluit Saluator noster intactum nouumque Sepulcrum, in quo mortuus breui tempore mansit, & viuus exiuit, vt *Ioan. c. 9. Et in Horto Monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat*; Eodem modo modo Sacratissima Mater, cuius in vtero viuus stetit, & post nouem menses, viuus exiuit, à nullo debebat mortuo, id est peccato, præoccupari, & præsertim à Satana, cuius durum caput ipsa contriuit, sed ab omni macula debebat esse immunis, Ergo peccatum originale non contraxit.

Act. Ecclesia. Ioannes.

Rationes Probatiuæ Decem.

PRima Ratio sit ex Scoto, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 1. §. *Contra primam*; Quæ talis est, Perfectus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectù alicuius personæ, respectù cuius est mediator, sed Christus fuit perfectissimus mediator, & respectù nullius personæ habuit excellentiorem gradum, seu actum mediandi, quam respectù Mariæ, igitur respectù Mariæ, tali gradu, siue actu, mediauit, sed non esset hoc, nisi meruisset eam præseruare à peccato originali, ergo à peccato originali illam preseruauit. Quod posset probari; primò, quia gratissimus fuit Patri in reconciliando; secundò, quia perfectissima mediatio consistit in amotione omnis pœnæ maioris, veluti est culpa originalis; tertio, quia B. Virgo maximè Christo tenetur Filio, propter suam Innocētiā ortam ex huiusmodi mediatione. Sed videatur Scotus ibidē. Scotus.

Secunda Ratio, ex Augustino, *t.* 7. *lib.* 5. *c.* 9. *contra Iulianum*, qui hoc validissimum desumit Argumentum. Iulianus de Christo sic arguebat, si Christus non fecit peccatum, ergo non habuit peccatum. Augustinus, sic ait, Augus̄t.

Illud sanè magnum, verumq; dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli dicentis. Qui peccatum non fecit. Notandum esse, quod indicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatũ, quia dixit nullũ eum fecisse peccatum. Vt doceres, inquis, quia, qui non fecit, habere non potuit; omninò verissimum est: Profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. Posita hac Augustini Argumentatione, & Doctrina pro maiori, Beata Virgo non habuit, siue non fecit peccatum mortale, vel veniale, quod declarat Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 23.* Sicut etiam docet D. Thomas, *3. p. qu. 27. art. 6.* Ergo Beata Virgo non contraxit peccatum originale. Peccatum enim originale est fundamentum actualium peccatorum, vt ex dictis deducitur. Augetur Ratio per id simi-
Greg. Pa. le, quod inquit Gregorius, *hom. 39. in Euangel.* sic, *Sed sine vllo peccato à Mundi corruptione exijt, qui sine peccato in Mundum venit. Sine culpa in Mundo esse non potuit, qui in Mundum cum culpa venit.* Ergo à contrario sine culpa in Mundo esse potest, qui in Mundum sine culpa venit. At
Io. Ech. Beata Virgo sine quacumque culpa esse potuit, immò de facto fuit, ergo sine culpa ipsa purissima Virgo venit. Hoc enim Ioannes Echius affirmauit, *hom. de Conceptione*, inquiens, *Quod si autem peccatum originale in Maria vsquam fuisset, tenebris vtique, & omni macula non caruisset.* Quæritur vtrum fœtus veniat in Mundum tempore perfectæ, & completæ generationis, an tempore Natiuitatis?
August. Dicat Sapiens, & Deuotus Mariæ.

Tertia Ratio, desumitur ex eodem Augustino, *lib. 83. Quæst. qu. 1. & lib. 3. c. 7. contra Maximinum Episcopum Arianum*, ad probandam Dei Filij cum Patre æqualitatem, Contra quem sic arguit, *Prorsus ad hunc Articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem sibi gignere Filiũ, aut non potuerit,*

rit, aut noluerit, si non potuit, infirmus, si noluit, inuidus inuenitur; sed vtrũq; hoc falsũ est, Patri ergo Filius verus æqualis est. Tunc sic. Aut Iesus Dei, & Marię Virginis Filius non potuit, aut noluit à peccato originali Matrem præseruare, si non potuit, ergo infirmus, idest impotẽs, si noluit, ergo inuidus, sed vtrumque falsum est, ergo à peccato originali Matrem præseruauit. Hanc potentiam Angelicus Doctor, 3. *Sent. dist.* 3. *qu.* 4. Et Seraphicus Bonauentura ibidẽ, *qu.* 2. concedunt: Et Petrus Chrisologus, *Serm.* 83. inquit, *Si est, quod Deus donare non potest, omnipotens non est.* Potuit, inquã, potuit Deus formare Euam sine peccato originali, & de facto formauit, ergo & Matrem suam Mariam. Quis verba Virginis falsa esse audebit cogitare, quę ait, *Fecit mihi magna, qui potẽs est?* *Luc. c.* 1. Hinc Alexãder de Ales, *in Magnificat,* inquit, *Magna fecit Dominus, fecit eã triũphare de Principe Dæmonũ,* Genes. 1. *Ipsa conteret caput tuũ.* Et Iudocus Clithoueius, *Elucidat. Ecclesiast. lib.* 2. inquit, *Et certè magna ipsi Sacrosanctæ Virgini fecit Dominus, quoniam antequam conciperetur, præuenit in benedictionibus, & à labis originalis cõtagio, in ipso conceptu seruauit immunem.* Quod sit inuidus, & nolit, quis audebit hoc impudenter proferre de Filio Dei, in dilectissimam Matrem? Ambrosius, *lib.* 2. *in cap.* 1. *Luc.* inquit, *Maluit autẽ Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare, sciebat enim teneram esse Virginis verecundiã, & lubricam famam pudoris, nec potuit ortus sui fidem Matris iniurijs astruendam.* Ergo inuidus? Temerarium esset hoc proferre. Corroboratur hoc per Augustinum, *Serm. de Natiu.* 20. *ad Fratr.* dicentẽ, *Igitur in Cælo, qualis est Pater, talis est Filius, sicut & in Terra, qualis est Mater, talis secundũ carnẽ est Filius.* Igitur si Filius habet Patris ęqualitatẽ ab ipso Patre, Maria habebit immunitatem à peccato originali, & carnis puritatem, quam habet Filius, sed ab ipso Filio.

Tho. Aq. Bonauen. Petrus C. Alensis. Clithou. Ambros. August.

4. Ratio, Maius est opus Redẽptionis, quã opus Creationis, sed in opere Creationis respectu Generis humani, duo fuerũt creati in iustitia originali, Adã scilicet, & Eua,

Boſſius. vt benè adnotauit Gerardus Boſſius, *in notis ad Serm. S. Gregorij Neoceſarienſis Epiſcopi*; ergo in opere Redemptionis duo debebant eſſe cum Iuſtitia originali, Chriſtus,
Ambroſ. & Maria; maior patet; & deducitur ex Ambroſio, *lib. 2. in cap. 2. Luc.* qui bonum Redemptionis aduertens, inquit, *Plus igitur Domine Ieſu tibi debeo, quod redemptus ſim, quam operibus, quod creatus ſim. Non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet.* Quod etiam canit Eccleſia in Sabatho Sancto, quando recolitur noſtræ Redemptionis memoria: minor patet tanquam clara apud omnes, ergo Concluſio certa, quod peccati originalis Beata Virgo omnino fuit expers.
Auguſt. Vnde cum Auguſtino dicere fas eſt etiam in hoc, *Fuit*
Bernard. *ſimilis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio*. Et Bernardus, in *Apocalip. cap.* 12. ait, *Vehementer quidem nobis, dilectiſſimi, Vir vnus, & Mulier vna nocuere; ſed gratias Deo, per vnum nihilominus Virum, & Mulierem vnam omnia reſtaurantur.*

Quinta Ratio, Maius eſt munus, ad quod ab æterno fuit electa Maria Virgo, quam munus, ad quod fuit electus Ioannes Baptiſta, ergo maior diſpoſitio, & idoneitas requirebatur in Maria, ad exequendum munus ſuum, quàm in Ioanne de exequendum ſuum: ſed ad exequendum munus ſuum, Ioannes fuit ſanctificatus in vtero Matris, poſt contractum originale peccatum: Ergo Maria Virgo ad munus ſuum exequendum fuit ſanctificata in vtero Matris, antequam peccatum originale con-
Hieron. traxiſſet. Hoc voluit innuere Hieronymus, *Sermone de Aſſumpt. B. Mariæ Virgin.* dicens, *Lauda Mater eum, qui talem te fecit, vt ipſe fieret ex te*. Hoc etiam bene aduertit
Philip. D. Philippus Dietz, in *Adu. t. 3. Conc. 1. de Concept.* vt ſupra in Tertia Chorda, inquiens idem quaſi per eadem verba: Maior patet, quia maius, digniuſque eſt Officium veræ Maternitatis, quam munus Præcurſoris, ſeù intimæ familiaritatis, & ſeruitutis, Illud enim Reginæ, & Dominæ, Iſtud verò ſerui eſt. Nec valet dicere, quod ſufficiat excel-

excellentiam Virginis,prȩire dignitatem Ioannis, in hoc, quod Ioannes fuit in peccato originali per menses,Maria verò per breuissimam morulam, seu per instans, quia ex hoc non tolleretur, quin Beata Virgo maculata fuisset, & labe originalis fœditatis conspersa.

Sexta Ratio, Supposito pro nunc, quod peccatum originale contrahatur ratione carnis infectæ. Tunc sic, Duorum agentium sese excedentium in virtute, priùs, & intensiùs (si ambo simul incipiant agere circa idem) agit & velocius suam formam inducit, quod fuerit potentius; Sed in Conceptione prolis, scilicet Virginis, in vtero Beatæ Annæ accesserunt duo agentia, caro videlicet infecta ad maculandam Virginis Animam, simul cum natura, & virtus Diuina cum gratia præueniente ad sanctificandam eamdem Virginis Animam, & virtus Diuina potentior est carne infecta, & gratia efficacior, quàm sit natura; ergo priùs Diuina virtus cum gratia introduxit in Animam Virginis Iustitiam, quam caro infecta cum natura induceret formam suam, scilicet maculam originalem. Hoc voluit innuere Albertus Magnus, in *Missus est*, *cap.* 65. quando dixit, *Beata Virgo exijt natura superiore imperante contra inferiorem*. Sed expressiùs confirmatur per Ioan. Damascenum, *Orat.* 1. *de Natiuit. Virgin.* Qui sic ait. *Natura gratia fœtum anteuertere minimè ausa est. Verùm tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset*; hoc est Immunitas à peccato originali. Et Augustinus, *t.* 9. *De Assumpt. B. Mariæ Virginis*, ait, *In Maria integritate plus potuisse gratiam, quàm naturam, non dubitamus*. Nam si in Pueris ignis, in Iona cœtus, & in Daniele Leonum natura non valuit; sed Dei gratia; sic in Virginis integritate, arguit Augustinus.

Alber. M.

Damasc.

August.

Septima Ratio, Quanto magis ens inferius, & dependens appropinquatur suo enti Superiori, & independenti, tanto magis ens inferiùs participat de natura, & perfectione illius entis Superioris, sed Anima B. Virginis, quæ

est

est pura creatura, & est inferiùs, & dependens, magis appropinquatur Deo suo Filio, qui est ens superius, & independens, ergo magis participat de bonitate, & natura, Filij; sed Filius non contraxit peccatum originale, ergo neq; Maria Virgo, dependenter à Filio, contraxit peccatum originale. Maior patet per Dionysium, *de Cœlest. Hierarch. lib.* 4. de Angelis, qui sunt Deo propinquiores, & ob id sunt cęteris creaturis perfectiores. Minor patet per Doctorem Angelicum, 3. *p. qu.* 27. *art.* 5. qui dicit, quod B. Virgo propinquissima fuit Christo in humanitate; fuit enim propinqua Deo tanquam Mater Filio: nec potest maior creata propinquitas reperiri in toto ente.

Dion. A.

Tho. Aq.

Octaua Ratio, Maius bonum, & magis desiderabile est Animam peccato non pollui, quàm corpus non incinerari, sed B. Virgo habuit à summa Filij clementia, ne suum corpus incineraretur, ergo habuit, ne macula peccati originalis sua Anima pollueretur. Maior patet, quoniam Anima est præstantior corpore. Minor etiam patet, quia credita, & est Augustini, *Serm. de Assumpt. B. Virginis*, qui ait, *Illud ergo Sacrosanctissimum Corpus, de quo Christus carnem assumpsit, escam vermibus traditum, & communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco*. Immo ait, quod fuisset in dedecus Filij sui, sic, *Putredo, namq; & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio, cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ea suscepisse probatur*; Ergo dicendum est multo magis, quod Virgo Mater Animam habuerit incontaminatam peccato originali. Incineratio enim est sequela ad peccatum, propter quod dictum est homini, *Gen. c.* 3. *Cinis es, & in cinerem reuerteris*, à qua Virgo fuit immunis, ergo immunis etiam fuit à peccato originali.

August.

Genesis.

Nona Ratio, Gradus Gloriæ correspondet gradui Gratiæ, sed gradus Gloriæ, quam habuit Beatissima Virgo, superat gloriam omnium Sanctorum, etiam Angelorum, ergo

ergo gratia Virginis excellit gratiam omnium Sanctorum. Maior patet ex Scoto, 4. *Sent. dist.22. qu.vn. l.H.* qui dicit. Maiori gratiæ ſine meritis correſpondet maior gloria, quamuis dicat etiam, quod gloria correſpondeat meritis, ſed hoc non eſt ſine gratia. Nulli enim datur correſpondens meritis,ſine correſpondente gratiæ. Minor etiam patet, & eſt de fide, quoniam ſic canit Eccleſia, *Exaltata eſt Sancta Dei genitrix ſuper Choros Angelorum ad Cæleſtia Regna*. Sic omnes Patres, & Doctores, tam Latini, quàm Græci docent, & prædicant, vt Gregorius Papa, in *p. Reg. c.* 1. Anſelmus, *de Excellent. Virg. Mar. c.* 4. Bernardus, *Serm.* 4. *de Aſſumpt. B. Mariæ*. Ephrem, *Orat. de Laudib. Virg.* Epiphanius, *Orat. de Laudib. Virg.* Ioannes Damaſcenus, *Orat.* 2. *de Dormit. B. Mariæ*, & omnes alij Patres. Ergo ſimiliter gratia debet antecellere, quæ profectò non excelleret, ſi præſeruationis eius gratia defuiſſet;cum aliquæ Creaturæ inferiores in gloria, huiuſmodi gratiam originalis Iuſtitiæ habuerint.

Scotus. Eccleſia. Grego. P. Anſelm. Bernard. Ephrem. Epiphan. Damaſc.

Decima, & vltima Ratio, Suppoſito, quod peccatum originale ſit grauius peccato veniali,vt rationabiliter Doctores aſſerunt. Tunc ſic, quodcumq; ſubiectum,ob repugnantiam qualitatis reſpuit contrarium accidens minoris gradus, reſpuit etiam accidens maioris gradus. Sed Anima B. Virginis, ob ſuam Sanctitatem, & puritatem, reſpuit contrarium accidens minoris gradus, ſcilicet peccatum veniale, ergo reſpuit contrarium accidens maioris gradus, ideſt peccatum originale. Peccatum enim originale priuat Animam gratia diuina, non ſit peccatum veniale: Maior patet à ſimili,Quoniam ſi ſubiectum propter Albedinem ſibi inhęrentem non poteſt ſtare cum nigredine vt duo,neque poterit ſtare cum nigredine vt quattuor, propter maiorem repugnantiam. Minor etiam patet per Angelicum Doctorem, *3. p. qu. 27. art. 1. ad prim.* Vbi loquens de ſpeciali Sanctificatione Mariæ, inquit, *Cuius ſignum eſt, quod B. Virgini præſtitum eſt, vt de cętero non* Tho.Aq.

peccaret nec mortaliter, nec venialiter; Quod patet etiam per omnes Patres, qui, esto minimam, omnem maculam negant in Virgine; ergo minus dicendum est eam peccato originali maculatam fuisse. Graue enim est peccatum originale, per quod incurrimus pœnam æternam, & fit anima odiosa Deo. Non sic peccatum veniale.

Leges Canonicæ Decem.

AD hanc veritatẽ de Immaculata Virginis Conceptione comprobandam Decem Canonicas Leges, quibus saltem clarè persuadetur, adducemus, & breuiter.

Prima sit, *Dist.* 11. *Can.* 7. *In his rebus*, vbi habetur, *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Sacra Scriptura, mos Populi Dei, & instituta maiorum pro Lege tenenda sunt, & sicut præuaricatores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt*. Igitur si per Scripturam Sacram explicitè non habetur, quod B. Virgo fuerit immunis, & præseruata à peccato originali, sed solùm per consuetudinem in toto Orbe diffusam, ac in Ecclesijs, quæ festum celebrant Conceptionis Immaculatæ, talis veritas pro Lege tenenda est.

Secunda, *Dist.* 11. *can.* 9. *Palam est*, vbi habetur, *Palam est, quod in re dubia ad fidem valeat Auctoritas Ecclesiæ, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot Populorum consensione firmetur*. Igitur, si hæc veritas de purissima Matris Dei Conceptione ab aliquibus, vt dubia tenetur, Debet valere Auctoritas Ecclesiæ, quæ sic declarauit (quamuis non de fide) cuius Summi Pontifices festum Conceptionis decreuerunt, Officium, & Indulgentias concesserunt: Et etiam per consensum omnium fidelium Populorum, qui hanc veritatem plausibiliter tenent, & idem festum sub titulo Immaculatæ Conceptionis solemniter celebrant.

Tertia, *Causa* 19. *q.* 2. *can.* 2. *Duæ sunt*, vbi habetur,

Qui

Qui à Lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à Lege publica constringatur. Dignior enim est Lex priuata, quam publica. Igitur, si Lex publica vult, quod omnes peccauerint in Adam, Lege priuata, siue priuilegio (quod idem est) B. Virgo ducta est, & sine peccato originali affirmatur concepta, non debet ipsa, Lege publica, & vniuersali constringi, quod cum alijs ipsa Virgo peccatum originale contraxerit, sed solùm per priuatam Legem declarari immunis à macula originalis culpæ, Et Bonauentura, *p. Sent. dist.* 27. *qu.* 4. *nu.* 28. ait, *Priuilegium speciale absoluit à communi præcepto.* Bonauen.

Quarta, *Caus.* 24. *qu.* 1. *can.* 11. *In Sede*, vbi habetur, *In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio.* Igitur, si Religio, quam in sua Sponsa Christus fundauit, & Sedem Apostolicam statuit, seruata est pura, & sine macula, quare eiusdem Christi dilectissima Mater in eadem Apostolica Sede, sine macula peccati originalis seruari, & defendi nõ debet? cũ eiusdẽ Apostolicę Sedis sanctitas, & puritas ab ipsa, aliquo modo proueniat, quia fundatorem eius formatum sanguinibus peperit Ecclesiæ?

Quinta, *Caus.* 26. *qu.* 7. *can.* 12. *Alligant autem.* vbi habetur, *Nonnè meliùs est, propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?* Quænam maior crudelitas, quam Matrem Saluatoris vulneratam, conspurcacatam firmiter doceri, & veneno originalis culpæ infectam verbis ostendi? Quænam maior misericordia Dei, quam Virginem ab huiusmodi originali sorde præseruare, & à Serpentis erigere morsibus? Igitur meliùs est reddere rationem pro confessione istius veritatis de Immaculata Dei Matris Conceptione, quàm de probatione peccati originalis, quia sicut premium de illa sperandum, sic de ista, est pœna timenda.

Sexta, *lib. Extr. de Probationib. c.* 3. *Ex literis*, vbi habetur, *Quod in liberali causa, in qua, si vtriusq; partis testes æquales fuerint, pro libertate Sententia proferetur.* Cum causa de

veritate Conceptionis Immaculatæ Virginis Deiparæ sit liberalis, à libera Diuina voluntate, supposito, quod pro vtraque parte testes essent æquales, quod aliter supra ostensum est, igitur pro libertate Virginis Mariæ sententia proferri debet, eamdem liberam, & immunem à peccato originali declarando, prædicando.

Septima, *lib. 3. Extr. de Prabend. & Dignit. cap. 28. Mulia Prouidentia*, vbi habetur, *Circa sublimes tamen, & literatas personas, quæ maioribus beneficijs sunt honorandæ, cum ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*. Ergo Summus Pontifex Christus potest in dignitate, & beneficio præseruationis à peccato originali suam Virginem Matrem, quæ est sublimis inter omnes creaturas, & repleta est diuina, ac cœlesti Sapientia, dispensare, & plurima beneficia, quia ratio filiationis, & maternitatis hoc expostulat, concedere.

Octaua, *lib. Extr. de Priuileg. cap. 30. In his, quæ*, vbi habetur, *In his, quæ ad cultum diuinum facere dinoscuntur, non maligna, sed benigna esset potius interpretatio facienda*, Sed veritas de Immaculata Conceptione B. Virginis Deiparę pertinet, ad Diuinum cultum, quia per ipsius celebritatem fidelis Populus extollitur ad obsequium, & Amorem Dei, qui Matrem suam tali, ac tanta gratia decorauit, Igitur non est facienda interpretatio maligna, idest de malo, sed benigna, idest de bono, & de benignitate Dei, qui ab originali macula Matrem dilectissimam præseruauit immunem.

Nona, *De Regulis Iur. in 6. reg. 15. Odia restringi*, vbi habetur, *Odia restringi, & fauores conuenit ampliari*. Quinam maior fauor, quam ille, quem fecit Dominus dulcissimus Filius dilectissimæ Matri, eam à peccato originali præseruando, & nos idem obsequenter confitendo? Quodnam maius odium quam peccatum habere, propter quod, Anima odiosa fit Altissimo? Igitur perstringamus odia cuiuscumq; peccati; ampliemus fauores cuiuscumq;

gratiæ,

gratiæ, & puritatis, & dicamus Beatissimam Matrem Dei etiam à peccato originali prorsus fuisse immunem.

Decima, & vltima, *De Regul. Iur. in 6. Reg.34. Generi*, vbi habetur, *Generi per speciem derogatur*. Generalitas est, quod omnes Filij descendentes ab Adam per carnalem propagationem contrahant peccatum originale. Derogatur huic Legi, eximitur B. Virgo per specialissimam Legem, & priuilegium Supremi Principis Dei, igitur non debet, ob talem specificationem, in aliorum omnium generalitate concludi, sed exempta ab omni macula originalis culpæ prædicari, & defendi, vt totus Orbis tuetur in eius festi celebratione.

Leges Ciuiles Decem.

PRima Lex est, *L. Ante omnia. C. de Castrens. & Ministr. lib.* 12. vbi (loquendo de Vxoribus Consularibus) Zenon dixit, *Hac autem priuilegia, non in eorum tantummodo, sed in Matrem, & Vxorem personis valere, & ad integrum permanere volumus*. Quæ Lex consentit cum Athanasio, *Serm. de Deipara*, vbi inquit, *Decet Matrem, quæ sunt Filij possidere, & ab omnibus adorari*, Quod dicit etiam Ioannes Damascenus, *Orat.2. de Assumpt. B.Mariæ*: Si Mater puri hominis, Filij sui priuilegijs gaudet, quare Mater Dei non gaudebit? Igitur si proprium, & singulare, ratione hypostaticæ vnionis, Filij Virginis fuit, vt per se non contraheret peccatum originale; dependenter à Filio, Beata Virgo Maria eodem priuilegio frui debebat, & peccatum originale nullo pacto contrahere.

Athanas.

Damasc.

Secunda, *lib.* 1. *ff. t. de Constitut.* vbi habetur, *Beneficium Imperatoris, quod à diuina eius Indulgentia proficiscitur, quam plenissimè interpretari debemus*. Si Beneficium terreni Principis est latissimè interpretandum, Igitur Beneficium Cœlestis, & Aeterni Principis, & erga Matrem suam, quod est illam à peccato præseruare, latissimè, est interpretandum,

tandum, ſcilicèt, non tantum à peccato quocumque actuali, ſed etiam ab originali; aliter non fuiſſet pleniſſima, & latiſſima interpretatio, cum latior fieri potuiſſet.

Tertia, *ff. de Legib. l. Princeps*, vbi habetur, *Princeps eſt Legibus ſolutus, & Auguſta ex priuilegio exempta.* Chriſtus Dominus Princeps eſt, Auguſtus eſt, de quo, *Apocalip.c.19.* legitur, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Maria eſt Auguſta, quia Regina, & Imperatrix Cœlorum, & Angelorum Domina. Igitur, Chriſtus ex ſe, à Lege contrahendi peccatum originale, fuit ſolutus, Mater Virgo per ſuum Filium, ex priuilegio, ab actuali Lege de contrahenda culpa originali fuit exempta.

Quarta, *Lex naturæ ff. de ſtatu hominis*, vbi habetur, *Lex naturæ hæc eſt, vt, qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, Matrem ſequatur, niſi Lex ſpecialis aliud inducat*. Si ad Legem naturalem poteſt fieri derogatio, Igitur, ſi hæc diuina Lex eſt, quod naturalitatem propagati ab Adam contrahant peccatum originale, poteſt fieri derogatio per ſpecialem Legem, qua Chriſtus Legislator extra Legem naturalem aliter iudicauit, Matrem ſuam à peccato originali præſeruando.

Quinta, *ff. de Regul. Iuriſ.* 20. vbi habetur, *Quoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundùm libertatem reſpondendum eſt*. Exiſtimabatur dubia (quamuis certa) aſſertio de Immaculata Conceptione intemeratæ Matris Dei, quod fuerit libera à Lege contrahendi actualiter originalem culpam; pauciſſimi negatiuam, quamplurimi affirmatiuam Sententiam de Immunitate ſuſtinebant, Igitur à Iudice Eccleſiæ Supremo facienda erat interpretatio pro libertate Virginis, & decernere, quod ipſa fuerit libera ab illa Lege contrahendi peccatum originale; Quod factum eſt, licet non de fide.

Sexta, *L. Si quis à liberis. §. ſi vel parens. in fin. ff. de lib. agnoſcend.* vbi habetur, *Iniquiſſimum enim quis meritò dixerit Patrem egere, cum Filius ſit in facultatibus*. Ieſus Chri-

ſtus

ſtus verus Deus, *qui diues eſt in miſericordia*, *Epheſ. cap.* 2. Epheſ.
Quomodo deſpiciet Matrem, & in ſuæ formationis inſtanti eam miſericordia præſeruante non ditabit, conferendo illi originalis Iuſtitiæ puritatem? numquid egentem eam relinquet? abſit. Ideo illam à peccato originali præſeruauit, eamq; omni gratia ditauit.

Septima, *ff. de Regul. Iur.* 56. vbi habetur, *Semper in dubijs benigniſſima præferenda ſunt*. Dubia (vt dictum eſt) (quamuis certiſſima) pro nunc ſupponatur Aſſertio de Immaculata Conceptione Dei Genitricis, quoniam vſque adhuc ab Eccleſia Romana non eſt determinatum, quod de fide habenda ſit, igitur benigna præferenda ſunt. Benignior eſt opinio de puritate. Hæc ergo ſententia de Puritate Conceptionis pro Sanctiſſima Matre Dei præferenda eſt, & bene præfertur.

Octaua, *ff. de Regul. Iuriſ.* 67. vbi habetur, *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimè excipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt*. Duæ Sententiæ exprimebantur in Sermone de Conceptione Virginis Mariæ. Quæ fuerit aptior Dei Genitrici, hanc debemus ab Eccleſia, & Vniuerſitate Fidelium excipere, qui communiter feſtum ſolemniſſimè celebrant Immaculatæ Conceptionis. Igitur hanc de puritate ſententiam, quilibet tanquam aptiorem, & veram debet reuerenter ſuſcipere, venerari, & tueri.

Nona, *ff. de Regul. Iur.* 96. vbi habetur, *In ambiguis orationibus, maximè ea Sententia ſpectanda eſt eius, qui eas protuliſſet*. Non eſt ambigua, ſed firma in piorum cordibus veritas iſta de Immaculata Conceptione Deiparæ, ſed dato, quod eſſet ambigua, audiamus Sententiam Spiritus Sancti, qui dicit, *Tota pulcra es Amica mea, & macula non eſt in te*. *Cant. cap.* 3. Igitur iſta ſententia eſt ſpectanda, & tenenda ſcilicet, quod Maria ſit tota pulcra ſine macula peccati originalis. Cantic.

Decima, & vltima, *ff. de Regulis Iuriſ.* 133. vbi habetur, *In obſcura voluntate manu mittentis, fauendum eſt*

liber-

libertati. Igitur Clementissimi Dei, qui Populo Christiano libertatem donauit, & fecit, vt nos, non Ancillæ, sed Liberæ Filij nasceremur, voluntatem debemus attendere erga Beatissimam Virginem, & per auctoritates Sac. Scripturæ, quæ à paucis existimantur obscuræ, omnes faueant libertati, & dicant Dei Matrem Mariam liberam, & longinquam fuisse à seruitutis Diabolicæ Iugo, quo detineri debebat per maculam originalis culpæ, quàm vt Filia Adæ contrahere debebat, sed non contraxit sui Filij dilectissimi Iuuamine, videlicet gratia præueniente, & præseruante;

SEPTIMA CHORDA, VEL VIA.

Decem expolita Contrarijs. Irrationabilitas aliquorum.

QVot errores, & falsitates fabulantur Christiani nominis Aduersarij circa Sacram Scripturam, & Dominun nostrum Iesum Christum, dicant qui Maumethanos, Hebræos, & Hæreticos non ignorant: dicant nunc, qui nostri temporis experiuntur Schismaticos Græcos, & Armenos, qui potius ad falsa Dogmata inclinantur, quàm Ecclesiam Romanam Fidei Magistram venerentur. Legant Librum, Fortalitium Fidei, prætitulatum, à Minorita Franciscano compactum, quamuis suppresso nomine, Nurembergij 1485. impressum, & omnia præfatorum somnia reperient. Quot errores miseri inuoluunt, immò ipsi eisdem inuoluuntur erroribus? Quorum falsitates, & vana dicteria supprimit, conculcat Mater Veritatis Ecclesia Sacrosancta. Et quod ipsa decernit, & docet ab omni errore prorsus alienum esse sustinere de-
Scotus. bemus. Errauerunt illi, & errant, (vt Scotus, vbi supra, adnotauit) quoniam Sacræ Scripturæ verba præcedentia, & sequentia conferre non curauerunt, & illa malè intel-
August. lexerunt. Hinc Augustinus, *lib.* 83. *Quæst. qu.* 69. ait,

Solet

Solet circumstantia Scripturarum illuminare Sententiam . Hoc aduertunt Catholici à veritate non aberrantes. Cum igitur eadem Sacrosancta Vniuersalis Ecclesia Festum Immaculatæ Conceptionis Mariæ celebrare decreuerit, ac Indulgentias concesserit, non errorem, sed rationabilem veritatem esse, fateri debemus. Quot errores ex opposita sententia suborti sint, enarrare non curo (errores vocare liceat materiales, seù impropriè) quot scandala, scilicet, rixæ, contumeliæ, contentiones, & dissidia, in diuersis Mundi partibus, in varijs Regnis, & Prouincijs, in multis Ciuitatibus exorta sint, difficile est recensere. Ex Bullis Summorum Pontificum Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. Pauli V. Gregorij XV. poterunt curiosi argumentari: Denarium numerum profectò excedunt. Legantur Laurentius Surius, *Breu. Coment. Histor.* Ioannes Eusebius Nierembergius, *de Perpetuo Obiec. fest. Concept. cont. Ioannem de Montesono*, Henricus de Hassia, ex quibus, & ex alijs, plurima posset excipere solertissimus Lector. Quæ per Italiam, præcipuè in Regno Siciliæ, huic Deuotioni Matris Dei addictissimo, patrata sunt, referre non curo. Non dicam esse errorem, contrariam sententiam interiùs tenere, absit. (sicut esset contra Bullam Pontificiam, eādem oppositam sententiam docere, & prædicare) Quoniam S. Romana Ecclesia vsque modò non determinauit, quod veritas de Immaculata Virginis Conceptione sit de fide tenenda. Aliquas tantum, scilicet Decem, Consequentias deductas, sed apud nos irrationabiles, referre volumus, totidemque Appellationes Encomiasticas, quibus negatiuas Consequentias adducemus.

Laur. Su. Nieremb. Hassia.

Consequentiæ Decem.

PRima Consequentia, vel Sequela. Si B. Virgo peccatum originale contraxisset, priùs ipsa fuisset

Filia Iræ, quam Dei Mater. Per carentiam enim originalis Iustitiæ nascimur Filij Iræ, Apostolo teste, vt infrà; Sed sequela est irrationabilis, & falsa; Quoniam non decuit Matrem Dei subiectam fuisse Dæmonis potestati. Incarnatio enim Verbi Aeterni de tali Virgine Matre fuit praeuisa antecedenter ad Adæ peccatum. Hinc Lansper-
Lansper. gius, *t. 3. conc. 2. sup. Concept. fest. B. Mariæ Virg.* inquit, *Absit, absit, vt Beatissimam Dei Matrem, vel ad momentum Filiam dicamus aliquando fuisse Diaboli, Filiamque Iræ.*

Secunda, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, ipsa in sui formatione fuisset imperfectior sua figura; Eua, quæ fuit (vt diximus) figura Mariæ Virginis, formata fuit sine peccato originali, immò cum originali Iustitia; Sed sequela est irrationabilis, & falsa, quia semper figuratum est dignius sua figura, cum figura ad illud sit or-
Ioan. Ec. dinata. Ob id Ioannes Echius, *t. 3. hom. 4. de Concept.* ait, *Si enim Eua tota pulcra, omnis maculæ expers fuit in sua creatione, quantò magis Maria omni caruerit peccato, & ipsa pulcherrima tota?*

Tertia, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, non fuisset Angelis sublimior, & meritò supra Choros Angelorum exaltata: Quoniam puritas, & Innocentia fundamentum est cęlestis sublimitatis, & gloriæ; Sed se-
Ecclesia. quela est falsa, & irrationabilis, quoniam Ecclesia Sancta veraciter canit, *Exaltata est Sancta Dei genitrix super Choros Angelorum ad Cælestia Regna.* Hoc apertè asserit Bona-
Bonauen. uentura, *2. sent. dist. 9. qu. 5.* in fine, loquendo de donis datis naturæ Angelicæ, scilicet gratia, & Gloria, aitq; *Ex hoc non videtur, quod Anima humana non possit ad æqualitatem cum Angelis ascendere. Immo absque dubio concedendum est posse, cum in Christo, & Beata Virgine videamus excellere,* quod etiam dicit, *dist. 16. art. 2. quæst. 1. in fine.*

Quarta, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, Deus fuisset tunc mutabilis in suo Decreto. Dixit enim Deus, vt supra adnotauimus, quod Maria Virgo debebat

Serpentis

Serpentis caput conterere, at per originalem culpam potius fuiſſet ipſa Virgo à Serpente ſauciata; Sed ſequela eſt irrationabilis, & falſa, Quoniam ſapientiſſimus Deus eſt sũma Veritas, ac immutabilis,nec poteſt fallere, neque falli; ſicque ipſa, peccatum non contrahendo, caput Serpentis contriuit.

Quinta, Si B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, non fuiſſet vera Apoſtoli aſſertio, *Roman. c. 5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, Tot enim homines tũc culpæ capaces fuiſsẽt, & ſub peccato,quot ſub gratia; Sed ſequela eſt irrationabilis, & falſa, quoniam intenſiuè, & extenſiuè gratia peccatum excellit, ſicut dicit idem Apoſtolus ibidem, *Donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures homines abundauit*. Hanc Pauli auctoritatem affert etiam Epiphanius, *lib. 3. Adu. Hæreſ. hæreſ.* 78. Roman. Epiphan.

Sexta, Si B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, origo Chriſti, ſecundùm carnem, fuiſſet minoris excellentiæ, quàm origo Adæ. Nam Adæ origo fuit ex puriſſima, & non antea diuinæ maledictioni ſubiecta Terra, de qua formatus fuit; Caro verò Chriſti fuiſſet de Virgine, ſed priùs diuinæ ſubiecta maledictioni; Sed ſequela eſt irrationabilis, & falſa, quoniam creatura Creatori non poteſt vllo modo commetiri, vel comparari.

Septima, Si B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, Chriſtus non feciſſet, quod dixit, & docuit, Dixit enim de Lege, *Non veni ſoluere, ſed adimplere*, *Matth. c. 4.* Tunc ipſe non impleuiſſet Pręceptum, & Legem de honore exhibendo parenti, cum ſine honore originalis Iuſtitiæ Matrem ſuàm tractauiſſet; Sed ſequela eſt irrationabilis,& falſa; Quoniam ipſam Virginem dilectiſſimus Filius ſuper omnes creaturas honorauit,& exaltauit. Hinc Rupertus, in *Cantic. cap. 6.* ait, *Qui enim dixit, Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, non dubium,quin ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis velit honorari Matrem*. Matth. Rup. Ab.

Octaua, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, non fuisset vera Mediatrix inter Christum, & Ecclesiam, vt prædicatur à Bernardo in *Apocalip. cap. 7. & Serm. 1. de Adu. Dom.* Nam Mediatrix debet esse gratissima Principi, & aliena à culpa aliorum; tunc enim per peccatum exul fuisset à gratia Principis, immo illi odiosa; Sed sequela est irrationabilis, & falsa, quoniam ad ipsam pijssimam Matrem humillime nos omnes confugimus clamantes exules Filij Euæ, tanquam ad Mediatricem, sicut Ecclesia docet.

Bernard.

Nona, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, tunc superbissimus Satan potuisset gloriari contra Dominum nostrum Iesum Christum. Diabolus enim præsumebat, *Isai. cap.* 14. Solium suum eleuare super Astra Cœli, idest super Christum, & Mariam; & quamuis fuerit deiectus, tamen per originalem culpam deturpasset Solium Christi, scilicet Matrem, quæ sic à Damasceno appellatur, *Orat. 3. de Dormit. Virg.* Sed sequela est irrationabilis, & falsa, quia de Virgine Deipara ait idem Propheta *cap.* 16. *Præparabitur in misericordia Solium Dominatoris Terræ, & sedebit super eum in Ciuitate.* Immo visus fuit in Solio excelso, & eleuato, scilicet in Maria Matre, quæ sic interpretatur.

Isaias. Ioan. D. Isaias.

Decima, & vltima Sequela, Si B. Virgo contraxisset peccatum originale, tunc mortales homines fuissent in consilio prudentiores immortali Deo. Nam Machabæi, *lib. p. c.* 4. abijcientes Altare pollutum, & prophanatum à Gentibus, *Aedificauerunt Domino Altare nouum.* Dominus autem Iesus Mariam Matrem, (quæ ab Antonio Patauino, *Dom. 3. post Trinit.* vocatur *Altare*) iam pollutum, & prophanatum originalis culpæ immunditie sibi constituisset; Sed sequela irrationabilis est, & falsa, quoniam non est inferius Consilium Domini; quocirca Ioel, *cap.* 5. inquit, *Numquid Consilium Dei audiuisti, & inferior te erit Sapientia?*

2. Mach. Ant. Pat. Ioel.

Decem

Decem Euasiones.

PRimò, non officit dicere, quod B. Virgo habuit pœnam peccati, quæ est Mors, cum ex Scoto, 4. *Sent: dist.* 14. *qu.* 1. *l.* K. & ex Boetio, *lib.* 2. *de Consolat.c.*4. *Penitere sequitur ad deliquisse.* Non officit, inquam, quoniam non semper datur pœna propter culpam; quandoque enim datur pęna sine culpa ad maiorem cumulum meritorum patientis, sicut in Iob, Tobia, & alijs Dei amicis; sic fuit in Virgine Beata; & potest remitti culpa sine pœna, ait Scotus, vbi supra. Quod Beata Virgo mortua sit, clarum est. Sed est sciendum, quod mors duplici ex capite prouenit, ex peccato scilicet, & ex naturali discordia humorum in corpore existentium. Ob id, stante peccato, ex humorum discordia, & ex culpa, moritur homo. B. Virgo non est mortua propter peccatum in ipsa, vel ab ipsa contractum, sed ex conditione naturæ ex Adam susceptæ. Hoc Ioannes Vigerius, *lib. de Institut. cap.* 18. inquit, *Et licet B. Virgo mortua fuerit, mors tamen non fuit pœna peccati, sed conditio naturæ.* Et Ecclesia Romana canit, in *Orat. pro festo Assumptionis eiusdem B. Virginis, Ex conditione carnis, migrasse cognoscimus.* Immo Augustinus, *Serm.* 3. *de Assumpt. B. Virginis*, idem dicit, *Memores enim conditionis humanæ mortem illam subijci temporalem dicere non metuimus, quam idem certè eius Filius, & Deus, & Homo Legem sortis humanæ substinuit.* Sed quare mortua sit, cum culpa caruerit? Dicimus hoc voluisse Deum ad ostendendum, quod ea etiam sit redempta à culpa, quam infuisset, & quod ipsi debebatur mortis pœna, in qua se debebat conformari Filio, qui mortem subire voluit, vt nos à morte cunctos eriperet. Vel glossatur per Ioannem de Meppis, *Tract. de Immacul. Concept.* sic, non datur pœna sine culpa, vel sine causa, in Maria fuit causa mortis, culpa nequaquam.

Scotus. Boetius. Io. Vig. Ecclesia. August. Io. de M[e]

Secundò, non officit dicere, quod Lex de pœna fuit

fulminata

fulminata ante peccatum,& ante bellum indictum à Deo
Genesis. cum indignatione, *Ipsa conteret caput tuum*; Quia eo tempore iam genus humanum erat macula peccati originalis infectum. Non officit, quoniam ab æterno Sanctissima Mater Dei fuit præuisa caput Serpentis conteritura, licet se Deus in tempore iratum ostenderit; & quamuis Adam tunc lapsus fuerit, in cuius lumbis omnes erant posteri, Virgo tamen Maria erat exêpta in æternitate, vt præuisa; & ante Sententiam, Adę peccatum poterat dici personale, quod non extendebatur actualiter ad posteros, nisi post latam Sententiam, in qua Maria Virgo non includebatur, tanquam prius exempta, & præuisa ad conterendum Serpentis caput. Lex non ligat, nisi post promulgationem, antequam Princeps,& Legislator potest aliquem à Lege eximere; sicut fecit Christus eximendo Matrem ab illo debito actuali, de peccato originali contrahendo; sicut, ab illo, *In dolore paries*; Et *in Cinerem reuerteris*.

Scotus. Aristot. Tertiò, non officit, dicere, quod stante Doctrina Scoti, 2. *Sent. dist.* 1. *qu.* 5. *l. L.* Et Aristotelis, 7. *Methap. cap.* 5. Quod substantia præcedat accidens cognitione, diffinitione, & tempore. Verba Philosophi sunt hæc; *Substantia omnium primum, ratione, notitia, & tempore*. Et sic in illo priori, si non erat sub gratia, erat in carentia gratiæ, & in culpa. Non officit, quia quamuis in illo priori Beata Virgo consideretur vt persona,& Filia Adæ, nihilominùs, solùm est prioritas naturæ cum indifferêtia ad vtrumq; & negatiuè se habet, tàm ad culpam, quàm ad gratiam: nec Beata Virgo, vt Filia Adæ consideratur, quod in aliquo instâti têporis sit,& in altero habeat gratiã, sed in eodem instanti temporis, in quo dantur plura instantia naturæ, in primo naturæ instanti cõsideratur personata, & Filia Adæ, & in secũdo instanti, in quo debebat declarari debitrix, fit exempta à debito, & communicatur ei gratia originalis. Neque obest auctoritas Aristotelis, quia, vt dicit Scotus ibidem, substantia præcedit accidens tempore, non de

facto,

facto, sed de possibili, quia, vt substantia est, non repugnat ei esse sine accidente.

Quarto, non officit, dicere, quod per condonationem originalis culpæ B. Virgo maiori obsequio tenetur ad Filium donantem, quàm ob innocentiam, quoniam *Luc. cap.* 7. *Cui minus dimittitur, minus diligit*, ait Christus: ex dono crescit obsequium, & amor in Donatorem; per innocentiam nihil donatur. Non officit, quoniam maius obsequium, & amor in Christum redundat propter præseruationem ab omni macula, quàm per subleuationem à macula. Ioannes Driedo, *De Grat. & lib. arbitr. lib.* 1. *c.* 5. *p.* 2. ait hoc idem, *Magis recepit Maria in eo, quod fuit ab originali peccato præseruata, quam recepisset, si fuisset ab illo liberata*. Et Scotus, 4. *Sent. dist.* 22. *qu. vn. l. N.* dicit, Maius beneficium suæ Matri præstitit Deus, quàm Magdalenæ, quia maius beneficium est conseruare innocentiam, quàm donare pœnitentiam. Beatis enim erit magna in Cœlo letitia de nunquam cecidisse. Et Angelicus Doctor, 2. 2. *qu.* 106. *art.* 2. dicit, quod innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia Innocentia est maius donum, nec sequitur, quod Deus pauca donauerit Virgini, quoniam, vt dicit Augustinus, *lib.* 2. *Confess. c.* 7. *Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ, te Duce, non feci*: Et *lib. de Diligendo Deo*, inquit, *Non enim sola, quæ commisi peccata, sed etiam quæ te protegente, non commisi, totum à te dimissum deputandum est*. Quoniam illud dimittitur, quod Deo regente, non committitur: Circa verba Christi dicta in Parabola de duobus debitoribus, non est par ratio, quia ambo illi erant subleuandi, & debitores, at si vnus illorum fuisset præseruandus, vel præseruatus, vt B. Virgo, & alter subleuandus à debito, plùs præseruatus, quàm subleuatus à debito diligeret Creditorem clementer vtriq; donantem. Ob id Antonius Patauinus, *fer.* 5. *Domin. Passion.* ait, *Quod dictum Saluatoris solùm tenet de illis, qui debitores fuerunt*,

Lucas. Ioan. D. Scotus. Tho.Aq. August. Ant. Pat.

fuerunt; *non de illis*; *qui fuerunt ab huiusmodi debito præseruati*, *&c.* Tales enim plus diligunt, quia maius beneficium recipiunt.

Quinto, non officit dicere, quod B. Virgo sit genita per libidinosam commixtionem parentum, & ob id contraxerit originale peccatum, cum Augustinus, vel Fulgentius, *lib. de Fid. ad Petr. cap.* 26. dicat, *Omnem hominem, qui per concubitum Viri, & Mulieris concipitur, cum peccato nasci,&c. Mala enim arbor fructus malos facit. Matth. c.* 7. Non officit, inquam, quoniam ratio formalis contrahendi originale peccatum non est parentum libidinosa coniunctio; quia libido sequitur ad peccatum. Obligatio, ad quam homo tenetur, est à peccato Adæ transgredientis Diuinum præceptum, quod non fuit carnalis libido, sed inobedientia. Vnio Virginis parentum, Annæ videlicèt, & Ioachim, fuit carnalis, idest secundùm carnem; sed non libidinosa, quia non conuenerunt ex concupiscentia, & ex voluptate carnali, sed ex Diuino præcepto. Et si affirmatur in carnali mixtione libido, conceditur in commixtione seminum, non autem, in infusione Animę, & vnione naturarum, in qua peccatum originale contrahitur; quia tunc Anima vnitur corpori, & proles fit debitrix Filia Adæ, & non in seminum commixtione, quando nullum subiectum reperitur, quod capax, vel receptiuum sit, aut culpæ, aut gratiæ. Vnde Anselmus, *lib.* 1. *de Concep. Virgin. c.*3. ait, *Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiæ, priusquàm homo fiat, non poterit suscipere peccatum originale, antequam homo fiat.* Et *cap.* 7. *Non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum, siue iniquitas, sed quia ab ipso semine, & ipsa Conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, vt cum habebit Animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Hinc Franciscus Labata, *t.* 1. *Appar. Concion. l.M. prop.*3. *Beatissima Virgo*, inquit, *Quamuis ex genere peccato originali fædato ortum habuerit, adeò ab omni peccato immunis euasit, vt è Cælo*

potius

Margin notes: August. — Anselm. — Franc. L.

potius illam venisse, quàm ab hominibus procreatam fuisse credatur.

Sextò, non officit dicere, quod Beata Virgo tunc posset in puritate comparari Christo, si peccatum originale non habuisset. Cum propheta dicat, *Psalm.* 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. B. Virgo, cum sit pura creatura, nullo modo potest æquiparari in munditia suo Creatori, quod tunc dici posset, si originale peccatum non contraxisset. Non officit, inquam, Quoniam, quamuis ex Anselmo, *lib. de Concep. Virg. & pecc. origin. cap.* 27. peccatum originale sit æquale in omnibus, quoniam æqualis est pęna, & sic fuisset æqualis in omnibus originalis Iustitia, sic idem Anselmus ibidem, *cap.* 24. *Nemo*, dicens, *potest probare, quod in infantibus alius alio nascatur iustior, vel iniustior, &c.* & in fine, *Sed dico, peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter, æquale esse, sicut peccatum Adæ, quod est causa cur nascantur in illo, ad omnes pertinet*. Et Scotus, 2. *sent. dist.* 32. *qu. vn. l. A.* inquit, *Peccatum originale non suscipit magis, & minus*; Nihilominùs, dato quod tàm Iustitia originalis; quàm peccatum, non habeat gradus, (loquendo de originali Iustitia) si non habet gradus formaliter, habet tamen aliquod discrimen, ratione subiecti, respectu causæ efficientis, & ratione modi, vnde non minima differentia oritur inter Christum Dominum, & Virginem eius Matrem. Christus enim conceptus fuit de Spiritu Sancto, eius Conceptionis puritas, & Innocentia erat conueniens suæ naturæ, per se, & nullo modo indiguit Redemptore. Non sic Maria, quæ fuit per naturalem seminum commixtionem propagata, puritas eius non erat conueniens suæ personæ, nisi per gratiam, & Redemptore indiguit præseruante; Et si quis diceret, quod aliquo modo tàm Christi, quàm Matris æqualis esset iustitia originalis, non tamen simpliciter æqualis esset, quia dependentia æqualitatem impediret. Sicut Scotus, 2. *Sent.*

Psalmus. Anselm. Scotus. Scotus.

2. *Sent. dist.* 1. *qu.* 3. *l.*C. docet, quod si creatura crearetur ab æterno, non esset infinita, sicut Creator, quoniam dependentia aufert infinitatis æqualitatem. Ex hoc igitur concluditur singularitas Christi Domini supra B. Virginem eius Matrem in Iustitia originali, si ex alio capite non posset argumentari, haberetur à subiecto, à modo, & à causa.

Septimò, non officit dicere, quod Deus nō cōtulit Virgini Matri maiora beneficia, vt sūt Immortalitas, & Beatitudo: Ipsa enim verè mortua est, & in terris cōprehensoris donum nō obtinuit, vnde, non sequitur ex impendendo honore maiori, ipsam præseruationis gratiam habuisse. Non officit, inquam, quoniam, quamuis suus amantissimus Filius voluerit illam honorare, & decorare omni prærogatiua, & honore possibili, sicut fecit; tamen si Immortalitatem ei non concessit, hoc fuit, quoniam Immortalitas erat inconueniens suæ naturæ. Nam humana natura ex parente primo progenita non est capax immortalitatis; Christus mortuus est; Etiam Virgo mortem subire debebat, aliter videretur dignior suo extitisse Filio. Si non concessit Beatitudinem, fuit, quia tale donum in terris, puræ creaturæ incompetens est, sicut competens ei erat, respectu Maternitatis Filij Dei, ad quam ab æterno erat præelecta, & præuisa, Innocentia Conceptionis, qua erat honoranda. Quod Christus omnibus modis

Ambros. voluerit honorare Matrem. Obseruat Ambrosius, *lib. de Institut. Virg. c.* 7. Considerans Christum in Cruce, sic. *Testatur de Cruce Dominus Iesus, & paulisper differt publicam salutem, ne Matrem inhonestatam relinquat.* Et Fran-

Zumel. ciscus Zumel, *p.* 1. *D. Thom. qu.* 3. *art.* 1. in illa verba, *Deum nemo vidit vnquam.* ait, *In illa assertione non comprehendimus Beatissimam Virginem, de qua sine temeritate dici potest vidisse essentiam Dei, vel quando concepit, vel quando peperit, &c.* hac ratione. *Omnis gratia, & prærogatiua, quæ concessa est alicui Sanctorum, cōcedenda est B. Virgini.*

Ergo

Ergo priuilegium concessum Paulo, & Moysi, probabiliter erat concedendum Beatissimæ Virgini. Hoc idem sentiendum est de immunitate à peccato originali, quæ fuit alijs creaturis concessa, non sic Immortalitas, neque Beatitudo perpetua.

Octauò, non officit dicere, quod tunc non indiguisset Redemptore, quia, *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*, *Matth. cap.* 9. Et Augustinus, *Epist.* 166. ait, *Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi, qui verè per peccatum fuerit ante captiuus.* Non officit, inquam, quoniam perfectissimus Medicus duplici medicina vtitur, vel subleuante quando homo infirmitate grauatur, vel præseruante, quando de futura infirmitate timetur; prætiosior, & gratior est medicina præseruans, ne quis in morbum incidat futurum. Hac vsus est Christus Sapientissimus Medicus in Matre, non subleuando illam à culpæ originalis infirmitate, sed præseruando, ne in illam incideret; & sic fuit perfectiori, & singulari redimendi modo redempta; Et Christus perfectissimus Redemptor. Hoc beneficium à Christo Iesu suæ Matri collatum excellentius fuit, ac dignius. Quapropter Andreas Vega, *De Iustific. lib.* 2. *c.* 6. dicendo: quod omnes indigent misericordia in Iustificatione, inquit, *Quod & de Beatissima Virgine verum est: Quamuis enim (vt aliàs probabilius faciemus) non contraxit peccatum originale, verissimum tamen est, eam indiguisse redemptione, & iustificatione, non minùs, immò magis, quam si verè contraxisset peccatum originale*. Hæc præseruatiua Redemptio, sed alteriùs morbi, pluribus in locis Sacræ Scripturæ reperitur, vt est videre. Audiamus attentè Augustinum, *t.* 9. *Psalm.* 85. in illa verba, *Eruisti animam meam ex Inferno inferiori*, qui inquit, *Quemadmodum, si Medicus videat tibi iminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his tibis vtere, nam si non feceris, ægrotabis, si autem tu feceris, saluus eris; rectè dicis Medico,*

Matth. August. Andr. V. August.

Medico, liberaſti me ab ægritudine, non in qua eras, ſed in qua futurus eras. Neſcio quis habens cauſam moleſtam, mittendus erat in Carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruiſti animam meam de Carcere. Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio. In his omnibus non erant, ſed quia talibus meritis agebantur, quod, niſi ſubuentum eſſet, ibi eſſent, inde ſe rectè dicunt liberari, quo per liberatores ſuos non ſunt permiſſi perduci.

Bernard. Addimus Bernardum, *in Cant. Serm.* 31. ſic dicentem, *Qui erexit* (loquendo de Natura Angelica) *hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens. Ex hac ratione fuit æquè vtriq; Redemptor, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.*

Ambroſ. Conueniens hoc erat, & deducitur ex Ambroſio, *lib.* 2. *in Luc. cap.* 1. dicente, *Nec mirum ſi Dominus redempturus Mundum, operationem incohauit à Matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* Et Ratio Auguſtini intelligitur de Liberatione, & Redemptione à ſeruitute iam actualiter contracta, non de contrahenda, de qua nos loquimur. Ab iſta ſeruitute, ob peccatum originale contrahenda, non contracta, ac ſi contraxiſſet, fuit libera B. Virgo Maria, vt ſupra ex eodem Auguſtino, clariſſimè dictum eſt.

Nonò, non officit dicere, quod maxima excellentia eſt in Virgine eam fuiſſe ſingularem, quæ concipere meruit Filium ſine peccato, non alteri conceſſam; quod non eſſet verum, ſi ipſa ſine peccato concepta fuiſſet, & ſic huiuſmodi excellenti priuilegio priuaretur. Non officit, inquam, quoniam non priuatur priuilegio, ſed maiori priuilegio decoratur per hoc, quod ſine peccato concepta eſt. Immò idem confirmatur, ac augetur priuilegium ex parte Filij non ſolum, quia ipſe Ieſus fuit immunis ab omni peccato, ſed etiam, quia non eſt purus homo, ſed homo ſimul & Deus, quia ex ſe, per ſuam naturam Innocens fuit cõceptus de Spiritu Sancto, & ſine virili ſemine,

Neq;

Neq; enim hoc priuilegiū concessū est Annæ, quæ genuit Mariam sine peccato originali, sed cum mixtione virilis seminis, quæ erat pura Creatura humana, & non per se, & per suam virtutem, sed ex singulari gratia præseruante sui dilectissimi Filij fuit Sancta; quapropter maximum est discrimen inter Annam, quæ concepit Virginem, & Virginem, quæ concepit Christum. Quam differentiam Andreas Cretensis bene aduertit in *Salut. Angelic.* dicens, *Non sicut Elisabeth, nec velut Anna, quæ te peperit. Illæ enim virili perfusæ semine, Matres factæ sunt. Tu verò absq; virili opera Filium paries sine semine tibi concessum.* And. Cre.

Decimò, & vltimo, non officit dicere, si B. Virgo mortua fuisset ante sui Filij in Cœlum Ascensionem, quod iuisset in Lymbum, cum Paradisi Ianua non dum aperta fuisset, quæ clausa fuit ob Adæ peccatum, & tunc pœnam habuisset sine præuia culpa; quod non videtur consentaneum: Non officit, inquam, quoniam ratio formalis, quod Paradisi Porta clausa fuerit, non fuit Adæ peccatum, sed solum Diuinum Decretum: Voluit enim Deus ab æterno, quod stante peccato Adæ, nemo Cœlum intraret, nisi prius humani Generis Redemptor Cœlum ascenderet, Portamq; aperiret. Et si prius mortua esset Virgo Beata, ne cum alijs, peccato originali iam cruentatis, sed sanatis, in Lymbum descenderet Anima Matris (ne videretur eadem cum illis fuisse pœna mulctata) alium locum, Dilectissimus prçparasset ad gloriam, donec Ianua Paradisi reserata fuisset; Vel posset dici, quod sicut Deus ab æterno præseruauit Matrē, ne caderet in originalem culpam, sic ab æterno decreuit, ne esset ante Filium moritura, ne vllibi retardaretur ad gloriam consequendam. Si Paradisi Portæ per Virginem apertæ sunt, vt canit Ecclesia, non debebat, nisi statim post mortem easdem introire. Vel vt dicunt alij, vt Franciscus Martinus Carmelita, *lib. de Concept. tract.* 7. Quod statim Virgini Immaculatæ aperta fuisset Paradisi Ianua ex Franc. M.

speciali

ſpeciali priuilegio, ſicut ex ſpeciali priuilegio fuit à culpa originali præſeruata.

Decem Appellationes Mariæ.

PEr Decem Appellationes etiam ex creatis encomiaſticas à Patribus deſumptas, Decem pro puriſſima B. Mariæ Virginis Conceptione excludimus Conſequentias negatiuas falſas.

Epiphan. Pſalmus. Prima Appellatio, Maria vocatur, *Cœlum*, ſic Epiphanius, *Serm. de Laudib. Virg.* de qua Propheta dixit, *Pſalm.* 102. *Dominus in Cœlo parauit Sedem ſuam.* Cœlum, ſecundùm Philoſophorum placitum, non patitur peregrinas impreſſiones, & Beata Virgo patietur in Anima peregrinas impreſſiones peccati originalis? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Chriſipp. Cantic. Secunda, Maria Virgo vocatur, *Sol*, ſic Chriſippus Hieroſolimitanus, *lib. de S. Maria Deipara*, de qua habetur in *Cant. c. 6. Pulcra, vt Luna, electa, vt Sol.* Sol, vt omnes aſſerunt, fuit plenus omni luce, & lumine in ſuo exordio creatus, & Beata Virgo erit creata obſcura cum tenebris originalis peccati? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Alber. M. Eccleſia. Tertia, Maria Virgo vocatur, *Stella Maris*, ſic Albertus Magnus, *in p. cap. Luc.* de qua canit Eccleſia; *Aue Maris Stella.* Stella Maris, Supremi Auctoris pietate, ad hominum bonum neſcit occaſum, vt aiunt Aſtronomi, & B. Virgo prius habebit occaſum culpæ originalis, quàm ortum gratiæ præſeruantis? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Ioſ. Hym. Quarta, Maria Virgo vocatur *Roſa*, ſic Ioſeph Hymnographus, *Hymn. p. Acathiſt. in Sanctiſs. Deipar.* de qua habetur, *Eccleſiaſtic. c. 24. Quaſi Plantatio Roſæ in Hierico*, Roſa, vt experientia docet, & naturales aduertunt, inter Spinas erumpit, & Spinis haud afficitur; & B. Virgo in

Vtero

Vtero Matris erumpens, ſentibus originalis peccati lacerabitur, afficietur? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Quinta, Maria Virgo vocatur *Palma*, ſic Hugo Cardinalis, in *Eccleſiaſtic. cap.* 24. de qua habetur, *Statua tua* Hugo C.
aſſimilata eſt Palmæ, *Cant. c.* 7. Pierius Valerianus inquit Cantic.
Palmam ſignificare Victoriam, & Innocentiam, & B. Virgo Pier. Va.
erit victa, & in ſuæ Conceptionis exordio erit abſque Innocentia? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Sexta, Maria Virgo vocatur *Carta*, ſic Thomas de Th. de V.
Villanoua, *Conc. p. de Natiuit. Beatæ Mariæ Virg.* de Thobias.
qua habetur, *Thobiæ, c.* 7. *Accepta Carta fecerunt con-* Oleaſter.
ſcriptionem Coniugij, Carta, ſeu membrana, in quo aliqua Diuinæ Legis verba debebant inſcribi, mundam ſine macula eſſe oportebat, dicit Oleaſter, in *Exod. c.* 13. Et B. Virgo, in qua digito Dei conſcribi debebat infallibile Naturæ humanæ cum Diuino Verbo coniugium, erit ſorde originalis fœditatis maculata? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Septima, Maria Virgo vocatur *Vitis*, ſic Gregorius Greg. T.
Thaumaturgus, *Serm.* 1. *de Annunc. B. Mar. Virgin.* de Eccleſiaſ.
qua habetur, *Eccleſiaſtic. c.* 24. *Quaſi Vitis fructificaui, &c.* Vitis ictæ fulmine vinum ad Sacrificium antiquitùs, incompetens erat, ait Plinius, *lib.* 14. *c.* 19. Et B. Virgo, Plinius.
cuius vinum ideſt, Botri Chriſti ſanguis ad Sacrificium vniuerſale pro Animabus noſtris adhibendum, erit fulmine peccati originalis percuſſa? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Octaua, Maria Virgo vocatur *Fons*, ſic Idelphonſus Idelph.
Toletanus, *cont. eos qui diſput. de Perpet. Virginit. B. Mar.* Geneſis.
de qua habetur *Cant. c.* 4. *Fons Hortorum, Puteus Aquarum viuentium*; Fons ſecundùm ſuam proprietatem ſemper effluit Aquam viuam, & B. Virgo ſicca, ſine Aqua gratiæ in ſuæ formationis initio reperietur? Irrationabile eſt, non eſt dicendum, non credam.

Nona

Lansper. Genesis. Nona, Maria Virgo vocatur *Scala*, sic Lanspergius, *lib.* 10. *Theoriarum, Theor.* 3. *Scala Iacob Cœlum attingens*, de qua habetur, *Genes. c.* 28. *Vidit in somnis Scalam*. Scala, quam vidit Iacob, è terra tendebat ad Cœlum, cuius summitati Deus erat innixus, & per eam Angeli ascendebant, & B. Virginis summitati, idest in sui initio, erit innixus Satan per culpam originalem, & simul tunc Dæmones per ipsam ascenderent? Irrationabile est, non est dicendum, non credam.

Damasc. Cantic. Decima, & vltima, Maria Virgo vocatur *Paradisus*, sic Ioannes Damascenus, *Orat.* 2: *de Dormit. Virginis*, de qua habetur, *Cant.c.*4. *Emissiones tuæ Paradisus*. Tempore Vniuersalis Diluuij, aquæ inundantes non intrauerunt Terrestrem Paradisum, & Aqua peccati originalis intrabit in Animam Virginis, ita vt dicere deberet cum Dauide, *Psalm.* 68. *Saluam me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad Animam meam*? Irrationabile est, non est dicendum, non credam.

Decem Glossæ ad Auctorit. S. Script. Vet. Testamenti.

LIceat nunc aliquas Sacræ Scripturæ glossare ex Veteri Testamento Auctoritates, quæ cum aliqua exceptione veræ opinioni de Immaculata Conceptione non aduersantur. Augustinus enim, *Serm.* 3. *de Assumptione B. Mariæ Virg.* ait, *Non immerito excipitur ab aliquibus generalitatibus vera existimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua*.

Psalmus. Prima Auctoritas sit, *Psalm.* 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum*. Ista auctoritas ex vi verborum intelligitur de peccato actuali, quia declinare est per proprium actum à regula deflectere. Nihilominùs non est simpliciter accipienda, Illa enim particula, *Omnes*, & aliæ consimiles glossari debent, Vt *Isaias cap.* 2. *Et fluent ad eum omnes*

Isajas. *Gentes*;

Gentes. *Psalm.71. Et adorent eum omnes Gentes*; 2. *Regum c.17. Dixitq; Absalon, & omnes viri Israel*; *Matth. cap.* 2. *Et omnis Hierosolima cum illo*. Et aliæ multæ, quia non semper intelliguntur de singulis, sed recipiunt exceptionem, vt patet rectè consideranti. Referamus verba Hieronymi, qui, *Epist.* 146. *ad Damasum*, hæc dicit, *Omnia non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam, vt ibi, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, & alibi, Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones. Et Paulus ad Corinthios, Omnibus, inquit, omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem; & ad Philippenses, Omnes enim quæ sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi*. Hinc dicimus, quod ab illa vniuersali, *Omnes*, excluditur purissima Virgo Maria per glossam sic, *Omnes declinauerunt*, idest, qui fuerunt sine gratia Dei; simul inutilis facti sunt, quoniam proprijs viribus, & virtute, bonum operari non poterant; non sic B. Virgo, quæ nunquam, per gratiam, declinauit, sed semper vtiliter operata est, per gratiam præseruantem, & præuenientem, sanctificantem, superabundantem. Psalmus. 4. Reg. Matth. Hieron.

Secunda Auctoritas est, *Psalm.* 38. *Verùmtamen vniuersa Vanitas omnis homo viuens*. Hæc auctoritas Prophetæ intelligitur de vanitate, & fragilitate humanæ naturæ, & vocatur naturalis, quia naturaliter homo est mutabilis, & mortalis, & præcipuè in ordine ad Deum, qui est infinitè immutabilis, & immortalis formaliter, ideo priùs dixerat, *Substantia mea tanquam nihilum ante te*. Ideo non sequitur de vanitate morali, seu spirituali. B. Virgo habuit vanitatem naturalem, quia erat corruptibilis, & mortalis, & verè mortua est: Nec sequitur peccatum originale contraxisse, quoniam semper stabilis, ac firma fuit ab exordio suæ Conceptionis in gratia sanctificante. Psalmus.

Tertia Auctoritas est, *Psalm.* 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea*. Aduertendum est pro intelligentia istius auctoritatis, Psalmus.

V quod,

quod, quamuis Dauid in isto, sicut in cęteris Psalmis, propheticè loquutus fuerit; Nihilominùs secundū literā, ipse suum explicabat pro peccatis dolorem, & ideo verè se in iniquitatibus conceptum fuisse, & Matrem suam in peccatis eum concepisse fatebatur. Neque ex hoc sequitur, quod etiam de Maria Virgine intelligi debeat; non est eadem vtriusq; ratio. Vel si ad omnes hanc auctoritatem velimus protrahere, glossatur. Propheta verum dixit secundùm Legem vniuersalem, qua cuncti Adæ Filij tenebantur, sed secundùm Legem specialem, & priuilegium, aliter dicendum est; & hac Lege, B. Virgo Maria fuit ab omnibus peccatis præseruata, & sine iniquitatibus in vtero Matris cum gratia, concepta.

Psalmus. Quarta Auctoritas est, *Psalm.* 115. *Omnis homo mendax.* Clarum est mendacium quodcumq; siue veniale, si fuerit iocosum, aut officiosum; siue mortale, si fuerit mendacium perniciosum, peccatum esse; quod præ requirit originalem culpam: & sic omnis homo cum peccato, aut mortale, aut veniale, reperitur. Attamen, cum Beata Virgo nullum peccatum commiserit, nec mortale, nec veniale (vt ex Concilio Tridentino, dictum est supra) sequitur ipsam nunquam mendacium dixisse, nec peccatum originale in suæ Conceptionis instanti per priuilegium speciale contraxisse.

Psalmus. Quinta Auctoritas est, *Psalm.* 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Verissima sunt Prophetæ Verba, quia nullus iustificabitur proprijs viribus; Iustificatio enim est opus Dei, & sic non potest quis sine gratiæ auxilio iustificari. Clarum est, quod multi in conspectu Dei iusti sunt, sed iustificati cum adiutorio gratię: Sicq; Beatissima Virgo iustificata fuit, idest iusta fuit ab exordio suæ Conceptionis per gratiam præseruantem, & sanctificantem; ita quod nunquam, numquam fuit iniusta, idest sub culpa. Si verò illa verba intelligantur comparatiuè ad Deum, nulla glossa requiritur, quia nemo sic dici

potest

poteſt iuſtificatus . Neque Deus poteſt aliquem ſic iuſtificare, vt eius iuſtificatio poſſit comparari diuinæ Iuſtitiæ infinitæ.Et ſi Iuſtitia Virginis Mariæ aliquo modo Chriſti Filij Iuſtitiæ aſſimiletur, non poteſt illi coęquari, neq; complete comparari, cum Iuſtitia Virginis ſit dependens, & Chriſti Iuſtitia infinita, & independens.

Sexta Auctoritas eſt, Eccleſiaſt. *cap.* 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem, ex omnibus non inueni*. Quidquid de prima parte iſtius Auctoritatis ſit, quæ ſecundùm vim verborum, non tantum vnum Dominum Ieſum Chriſtum, ſed multos alios declararet immunes, cum multa hominum millenaria tranſierint, ſint, & erunt. Tamen quia millenarius numerus, quamuis finitus, ponitur quandoque pro infinito, vt in *Theſaur. Ling. Latin.* legitur, *Mille pro numero infinito, vt ex Virgilio,* 4. *Aeneid.* Eccleſiaſt. The.L.L.

Ergo Iris croceis per Cælum roſcida pennis
Mille trahens varios aduerſo ſole colores.

Et Gregorius Papa, *lib.* 9. *Moral. cap.* 2. inquit, *In Scriptura millenarius numerus pro vniuerſitate ſolet intelligi, &c. Hinc & per Ioannem dicitur, & regnabunt cum eo mille annis, quia videlicet Regnum Sanctæ Eccleſiæ vniuerſitatis perfectione ſolidatur*; vnde ex hoc rectè dicitur ex vniuerſis vnus Chriſtus. Circa ſecundam partem auctoritatis dicendum, quod nulla fœmina reperitur immaculata, ex vi ſuæ humanæ naturæ, ex ſe, & ſecundùm vniuerſalem propagationem, ſicut ille vnus Chriſtus Ieſus. Ex Diuino tamen auxilio ſpeciali, vna etiam Maria ex omnibus Mulieribus per gratiam ſui dilectiſſimi Filij Innocentiſſima reperitur, vt benè adnotauit Doctor Angelicus. Grego.P.

Septima Auctoritas eſt, *Cant. cap.* 1. *Nigra ſum, ſed formoſa*. Quamuis hæc auctoritas non referatur ad Virginem Mariam, illam nihilominùs gloſſando, Anſelmi tantum verbis vtar, in *Cant. c.* 1. qui ſic ait, *in Enarrat. Exteriùs quidem ſum nigra, ſed interiùs formoſa, ideſt bonis virtutibus ornata*, quæ verba ad Beatiſſimam Virginem Cantic. Anſelm.

referendo, quia in eius Officio recitantur, vtique eam nigram vocare possumus; exteriùs quidem, quo ad passiones naturæ humanæ, vt sunt sitis, fames, paupertas, & aliæ consimiles, ac etiam mortalitas, quæ eam nigram aliquo modo ostendebant. Nigredo enim corporale accidens est. Sed interiùs ipsam prædicamus, & docemus formosam, quia B. Virgo, quoad Animam pura, intacta à nigredine originalis, & actualis culpæ semper aliena, & formosa, ab suæ Conceptionis instanti fuit, & sustinetur.

Isaias. Octaua Auctoritas est, Isai. *cap.* 47. *Vnusquisque in via sua errauerunt*. Debet intelligi ista auctoritas cum aliqua exceptione, cum qua, (vt dictum est) similes propositiones vniuersales accipi solent, & non sic simpliciter, & & absolutè; aliter multæ loquutiones essent falsæ, si nulla penitùs daretur exceptio. Et propterea dicendum est, *Vnusquisq; in via errauerunt*, Ex se, derelicti in proprijs viribus, in naturalibus; qui non receperunt ab Omnipotente auxilium præueniens, & efficax ad resistendum malo, ad quod, ex defectu naturæ corruptæ, inclinabantur, & ad bonum operandum; sicut habuit Virgo Deipara, quę minimè debet computari inter omnes, quoniam habuit à suo Dilectissimo gratiam præuenientem, efficacem, & præseruantem, non solùm à peccato proprio, siue mortali, siue veniali; sed etiam à peccato alieno, scilicet Adã, à quo traxit originẽ per naturalẽ propagationẽ, & ideo eximitur ab ista vniuersalitate, & ab alia, quæ potest afferri.

Isaias. Nona Auctoritas, Isai. *cap.* 53. *Omnes nos, quasi oues errauimus; & vnusquisq; in viam suam declinauit.* Propheta hic propheticè loquebatur de Passione Christi, sine cuius efficacia, omnes declinauerunt in suam viam malam, sicut per ipsam omnes Fideles ambulant in via mandatorum, & Iustitiæ. Ab illa tamen vniuersali, *Omnes*, excipimus B. Virginem Deiparam, quæ non errauit, ex gratia præseruante, per Passionem Christi Filij sui præuisam; qua, libera fuit, & præseruata à macula originali, quam

nun-

nunquã incurrit, sed incurrisset,nisi præuẽta fuisset peculiari priuilegio,& Diuino adiutorio. Vnde canitur, *Vt qui ex morte eiusdem Filij sui præuisa,eã ab omni labe præseruasti.*

Decima , & vltima Iob. *cap.* 15. *Quis est homo, vt immaculatus sit , & iustus appareat natus de muliere , &c.* ? *Et Cœli non sunt mundi in conspectu eius* . Hanc sic exponimus auctoritatem , Quis est homo purus , qui, ex se, independenter,& sine auxilio gratiæ præuenientis, ab omni culpa sit immunis , & immaculatus ? Certè nemo . Solus enim Redemptor noster, non purus homo, sed Homo Deus, ex se , & independenter ab omni prorsùs labe immaculatus est , & natus ex Muliere Virgine , sua infinita Iustitia iustus apparuit ; Quo modo Beatissimam Virginem , neq; immaculatam , neq; iustam prædicamus, confitemur . Sed bene iustam , & immaculatam docemus , & probamus ipsam Virginem,ex diuina gratia præseruante , & ex Filij sui adiuuamine ab omni originalis peccati macula,purissimam . Et quamuis Sancti omnes , qui Cœli vocantur à Patribus , qui enarrant gloriam Dei, non sint mundi in conspectu Dei, quia omnes ad minus peccatum originale contraxerunt . Ipsa Virgo,quæ super omnes Cœli,idest super omnes Sanctos,& Sanctas est exaltata,mundissima, purissima per Passionem sui dilectissimi Filij in conspectu Dei reperitur,& à Fidelibus colitur . Iob.

Decem Glossæ ad Auctorit. S. Script. Nou. Testamenti.

ALias etiã Decem liceat ex Nouo Testamento Scripturæ Sacræ auctoritates glossare , & ad puritatem Virginis Matris Dei Mariæ celebrandam exponere .

Prima Auctoritas sit , *Matth. c.* 11. *Non surrexit inter natos Mulierum maior Ioanne Baptista* . Hæc Christi Iesu Auctoritas intelligitur de illis, qui ceciderunt, & postea surrexerunt , non enim surgit , nisi, qui prius cecidit ; & ideo Ioanne Baptista Virgo Mater maior est ; quæ maioritas Matth.

ioritas consistit in immunitate à peccato originali, in quod Ioannes Baptista cecidit, quamuis, antequam exiret è Materni vteri Claustro, subleuatus fuit, tunc scilicet, quando ex præsentia Virginis, Ioannes infans existens in vtero exultauit. Hinc dicendum est Christum Dominum in illa propositione pro Ioanne, Mariam Matrem

Pau. de P. excepisse; Quod bene adnotauit Paulus de Palatio in *Matth. c.* 11. circa eadem verba, *Non surrexit maior, &c.* ait, *Ex quo loco, sub aliorum censura, colligo Virginem Mariam in peccatum originale non incidisse. Patet manifestè. Ioannes est maior omnibus, qui ceciderunt, & surrexerunt; at non est Virgine maior, Virgo igitur, non cecidit. Fateor, nescio hoc argumentum dissoluere.*

Roman. Secunda Auctoritas est, *Roman. cap.* 3. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*: Omnes peccauerunt, qui non habuerunt gratiam præseruantem, verum est. Virgo tamen Sanctissima habuit huiusmodi gratiam, & ideo non peccauit. Quæ vtique habuit indigentiam gloriæ diuinæ, scilicet gratiæ præuenientis, ne caderet, non subleuantis post casum, cum nunquam ceciderit. Hanc exceptionem

Adam S. considerauit Adam Sasbout in suis operibus, *hom. de Assumpt. B. Mariæ Virg.* vbi inquit, *Omnes peccauerunt, hac sola, in cuius nunc laudibus versamur, excepta. Hæc sine labe in ventre concipitur, absque peccato de ventre progreditur, citra maculam vias deserti perambulat, vt rectè de ea dictum intelligamus (quod in Canticis habetur) Tota pulcra es Amica mea, & macula non est in te.* Apostolus in hoc voluit Iudeorum, & Gentilium ambitionem retundere, qui gloriabantur de propria naturali excellentia, quapropter Paulus eos reprehendens, dicit, *Omnes*, ex defectu naturæ contrahere originale peccatum, & indigere diuina gratia. Sed excipimus Virginem Deiparam ab illo *Omnes.*

Roman. Tertia Auctoritas ibidem *cap.* 5. *Per vnum hominem peccatum, &c. ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Apostolus hic intelligendus est secun-

dum

dum Legem communem, & pro Filius Adæ naturali generatione progenitis, ſed B. Virgo, quamuis Filia Adæ, fuit antecedenter ad peccatum Adæ excepta, & exempta ab illa communi Lege per Incarnationem, & Paſſionem ſui Dilectiſſimi præuiſam, Nec diſplicet Auguſtino exceptio in Virginis honorem, qui, *Serm. 3. de Aſſumptione B. Mar. Virg.* ait, *Non immeritò excipitur ab aliquibus generalitatibus vera exiſtimatione, quam tanta ſeruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua*, vt dictum eſt ſupra. Auguſt.

Quarta Auctoritas, 1. *Corinth. cap. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Per Chriſtum Beata Virgo habuit vitam, & per Adam habuit mortem corporalem, quia per Adæ actualiter mors intrauit in Mundum, ſed non per peccatum Adæ in ipſa contracto. In Virgine enim fuit mors pro pœna, non pro culpa. In cęteris Filijs Adæ ab ipſo naturaliter propagatis fuit, & eſt pœna, & cauſa mortis; quia contrahunt peccatum, quod fuit cauſa mortis; quod non fuit hoc in Maria, quæ quamuis non fuerit præſeruata à pœna, quoniam verè mortua eſt, fuit nihilominùs pręſeruata à culpa, ſcilicet ab originali, in inſtanti Animæ confuſionis. 1. Corint.

Quinta Auctoritas, Idem, *ibid. Stimulus peccati mors.* Stimulus hic accipitur pro pœna, vel punitione, quæ ortum duxit à peccato; Peccatum morte pungit Filios Adæ, quam etiam B. Virgo ſuſtinuit, non pro vt eſt ſtimulus peccati proprij, vel contracti, ſed tantum prout eſt ſtimulus peccati alterius. Cęteri autem, (ipſa ſolum excepta) patiuntur hunc ſtimulum, & prout eſt alterius, & prout in ipſis peccatum eſt contractum. Beata Virgo enim, ex ſpeciali priuilegio, fuit præſeruata à culpa, non à pęna, ad ipſius meritum, ex diuina diſpenſatione. 1. Coriut.

Sexta Auctoritas eſt ad Galatas, *cap. 2. Non iuſtificabitur omnis caro.* Auctoritas intelligi debet ſicut illa ſuperiùs aſſignata, ex *Pſalm.* 142. Et vera eſt, quoniam ex proprijs viribus naturalibus, nulla eſt iuſtificatio, vt Galatas.

habetur

habetur ex *Concil. Trident. seſſ. 6.* At data diuina gratia; omnis caro, omnis homo iuſtificatur; Et præcipuè Beata Virgo, quæ ſupra cęteros habuit gratiam præſeruantem à culpa originali, antequam caderet, quamuis nullo modo poſſit eius Iuſtitia ſui Filij Iuſtitiæ æquiparari, quia non proprijs viribus naturalibus, & ex ſe, independenter habuit, veluti habuit Chriſtus, qui propria virtute, ex ſe, independenter eſt iuſtus, & ſumma Iuſtitia, qua omnes iuſtificantur.

Epheſ. Septima Auctoritas eſt, *Epheſ. cap. 2. Eramus omnes natura Filij Iræ, ſicut, & cęteri.* Paulus hic, ſibi ipſi, vel nobis gloſſam ſuæ propoſitionis affert, quæ eſt pro veritate Immaculatæ Conceptionis, dum inquit, *natura*. Nam Epheſij, & omnes, ex natura deficiente per Adæ peccatum, & naturalem propagationem erant Filij Iræ. At B. Virgo nunquam Iræ, ſed Gratiæ, per Filium, Filia fuit, cum per ſpeciale priuilegium vicerit curruptę naturę defectum, peccatum originale haud quaquam contrahendo, ſed pura remanendo.

1. Thim. Octaua Auctoritas eſt, *p. Thimot. c. 2. Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Clarum eſt Redemptionem omnium Chriſtum feciſſe, ob idque tradidiſſe ſemetipſum. Sed præcipuè in Redemptionem ſuæ dilectiſſimæ Matris, quam ſuper alios redemit redemptione præſeruatiua, à peccato, quod infuiſſet, niſi tali modo fuiſſet redempta per Filij eiuſdem Paſſionem præuiſam. Hic modus redimendi pręcipuè tanto Redemptori conueniebat, in Matris honorem. Hic modus, vltra quę dicta ſunt ſuperiùs ex

Mag. Sen. Auguſtino, è contrario patet per verba Magiſtri Senten. *lib. 2. diſt. 3.* loquendo de caſu Diaboli, qui ſic ait, *Continuò autem, vt factus eſt, cecidit, non ab eo, quod accepit, ſed ab eo, quod accepiſſet, ſi Deo ſubdi voluiſſet.* applicetur.

1. Ioann. Nona Auctoritas eſt, *p. Ioan. cap. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis*

non

non est. Ioannes scribebat Ecclesijs Asiæ, cuius omnes erant sub Lege de contrahendo peccatum originale inclusi propter propagationem naturalem ab Adam, & sanè, si aliter dixissent, fuissent mendaces. Non sic Beata Virgo, quia fuit ab illa vniuersali propositione exempta, & si dixisset, quod peccatum non haberet ex gratia sui Filij Iesu Christi, verum dixisset, non mendacium.

Decima, & vltima Auctoritas est, *Apocalip. cap.* 15. *Quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo*. Vera sunt verba Ioannis. Solus Christus Iesus pius est, pietate imparticipata, ex se, per essentiam, per excellentiam suæ naturæ, & independenter. At si cum Ecclesia, piam, & immaculatam Mariam Virginem prædicamus, verum etiam dicimus. Quia hoc habuit à Filio per gratiam, & speciale priuilegium. Estq; pia, non per essentiam, sed per participationem, & dependenter à dulcissimo suo Filio Iesu Christo. Apocal.

Decem ad Patrum Auctoritates Glossæ.

Liceat nunc etiam hic Decem Sanctorum Patrum, & Doctorum Auctoritates glossare, ad Maiorem Virginis Deiparæ honorem, & gloriam.

Prima Auctoritas sit Augustini, *lib.* 13. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 14. dicentis, *Omnes enim fuimus in illo vno, quando nos fuimus ille vnus, qui per fœminam lapsus est in peccatum*. Et, *lib. de Prædestin. & Grat. cap.* 5. *Vitiatæ radicis enim macula in propaginis traduce per generationem sarmenta diffusa est, vt nec Infans quidem vnius diei à culpa sit primæ praeuaricationis alienus, nisi per indebitam Saluatoris gratiam fuerit liberatus*. Clarissimum est, quod omnes per generationem ab Adam, qui per peccatum proprium humanam corrupit naturam, peccati macula inficiantur, sed per gratiam Dei, B. Virgo Maria ab huiusmodi peccati corruptione libera fuit, quod incurrisset ex vi suæ productionis, nisi August.

præuenta fuisset. Verissimumq; est solum per Saluatorem Dominum, ac eius gratiam, hominem liberari, sicut fuit B. Virgo tanquam Mater Vnigeniti Filij Dei, idest per gratiam præuenientem,& præseruantem ab omni macula originalis peccati, fuit libera, & immunis, siue liberata ab actuali debito contrahendi,quod habebat ex Adam.

Ambros. Secunda Auctoritas est Ambrosij, 2. *lib. in Luc. cap.* 2. *Solus enim per omnia, ex natis de fœmina, Sanctus Dominus Iesus, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus nouitate, non senserit, sed cęlesti maiestate depulerit.* Verissimum est solum Dominum nostrum Iesum Christum non sensisse terrenæ corruptelæ contagia per se, ex vi hypostaticæ vnionis, & independenter, quod de B. Virgine non possumus affirmare. Nihilominùs rectè affirmamus ipsam Deiparam Virginem non sensisse carnis corruptelam per specialem gratiam præuenientem sui Sanctissimi Filij,qui eam pręseruauit ab omni peccati contagio,quò,secundum propagationem ab Adam, maculari debebat.

Leo P. Tertia Auctoritas est Leonis Papæ, *Sermon.p. de Natiu. Dom. Dominus noster peccati,mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Si per

Scotus. reatum intelligatur, vt ait Scotus, in 4. *Sent. dist.* 14. *qu.* 1. *l. H. & dist.* 16. *qu.* 2. *l.P.* Obligatio formaliter ad pœnam, B. Virgo non habet huiusmodi obligationem, quoniam per gratiam superabundantem fuit à tali obligatione exempta. Si autem aduertatur secunda pars auctoritatis, scilicet, *Liberandis omnibus*, conceditur cum glossa, scilicet diuersimodè. Aduentus enim Christi præuisus, fuit pro liberandis omnibus, sic etiam Aduentus Christi completus fuit pro multis. Illi, qui fuerunt ante Christi Incarnationem fuerunt liberati primo modo, & inter illos computatur specialiùs Virgo Maria, sed modo singulari supra cœteros, quia suam Matrem Christus pręseruando antequã caderet, liberauit; cœteros autem subleuando,& liberando,postquam in peccatum ceciderunt.

Quarta

Quarta Auctoritas est Gregorij Papæ, *lib.* 18. *Moral. cap.* 27. *Ille autem solus veraciter Sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ non est*. Quod Christus conditionem corruptibilis naturæ vicerit, & ob id non fuerit ex carnali commixtione genitus, hoc clarum est, quia sine suo aduentu, humana natura non eleuabatur, & quod ipse solus sit Sanctus, pariter clarum est, loquendo de sanctitate primaria, imparticipata, independenter ab alio. Attamen si Sanctam Virginem Deiparam prædicamus dependenter à Filio, qui eam ab exordio suæ Conceptionis sanctificauit, Christo Filio non derogamus, qui ex gratia speciali eam Sanctam fecit, & Sanctitatis re, & titulo, dignatus est super omnes Creaturas decorare excellentiùs. Greg. Pa.

Quinta Auctoritas est Hieronymi in *Ezechiel. cap.* 9. *Solus enim inuentus est Dominus, qui peccatum non fecit, neq; inuētus est dolus in ore eius.* Et *Psal.* 1. *Quia nullus absq; peccato, nec si vnius quidē horæ fuerit vita eius*. Solūmodo Christus Iesus, per se, absq; alterius iuuamine, peccatum non fecit, nec facere potuit; & omnes cum peccato sunt, ad minus, originali. Sed eximitur Virgo Mater, quæ facta est immunis per Filium, qui valore suæ gratiæ præseruātis eam redemit, & peccatū non fecit; neq; contraxit, atq; ab vniuersalitate peccantium, diuino priuilegio speciali, secreta est. Hieron.

Sexta Auctoritas est Anselmi, *lib. Cur Deus homo, cap.* 16. *Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatibus, & in peccatis concepta Mater, & cum originali peccato est, quia & ipsa in Adam peccauit*. Anselmus ita Conceptionem Virginis Marię Immaculatam prædicauit, & docuit expressè, vt falsò hæc illi ascribantur verba. Sunt verò dicta cuiusdam interrogantis, vel arguentis ad veritatem expressiùs declarandam. Multi enim errores videntur in Theologia, & Philosophia ex parte arguentium, qui tamen errores non sunt, sed afferuntur ad veritatem firmandam, magisq; stabiliendam. Anselm.

X 2 Septima

Fulgent. Septima Auctoritas est Fulgentij, *lib. de fid. ad Petr. cap. 26. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnē hominē, qui per concubitum viri, & fœmina concipitur, cum peccato nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum, & ob hoc natura Iræ Filium nasci*. De natura lapsa, & peccato corrupta intelligendus est, secundùm quam omnes maculam contrahunt originalem, ideo dicit, *Natura Filij Ira*. Nostra assertio est de gratia præseruante, quæ præualet naturæ, secundùm quam gratiam, B. Virgo fuit præseruata, ne, cum tali priuilegio speciali, peccatum contraheret originale, nec Filia esset Iræ, sed gratiæ.

Chrisipp. Octaua Auctoritas est Chrisippi Hierosolimitani, *Serm. de B. Virg. Tumque autem Arca cum omnibus exurgat à lapsu, in quo illam constituit Eua Cognatio*. Hic loquitur secundùm naturalem propagationem, quæ ex se constituisset B. Virginem in lapsu, à quo debuisset exurgere cum cæteris Euæ Filijs. At quia fuit speciali gratia præuenta, surrexisse dicitur à debito, antequam caderet. Sicut ex Magistro, vbi supra, Diabolus cecidit à quo accepisset, & tamen non accepit.

Petr. Dia. Nona Auctoritas est Petri Diaconi, *lib. de Incarnat. & Grat. ad Fulgent. c. 6. Ex hoc nullius est hominum, qui non huius peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum, qui, ad hoc vinculum peccati soluendum, nouo generationis modo, natus est, mediator Dei, & hominum Homo Christus Iesus*. Loquitur hic secundùm vim naturalis propagationis ab Adam primo parente, quæ hoc exigit, vt quisq; nascatur peccati vinculo astrictus, præter Christum, qui aliter natus est, ex se, & independenter immunis. Attamen Beata Virgo Maria non fuit eodem astricta vinculo, ex priuilegio Filij sui. Nam, antequam actualiter, de facto astringeretur, fuit exempta per gratiam specialem, præuenientem. Et potest dici etiam soluta, non ab actuali vinculo peccati contracti, sed ab obligatione, qua omnes Filij Adæ astringebantur. Possit etiam dici, quod ipsa B. Virgo venit

venit ad ſoluendum peccati vinculum, quia debebat eſſe Redemptoris Mater, quæ etiam nata eſt nouo modo, ideſt generata ſine carnis voluptate; & ex Dei obedientia, & eſt Mediatrix noſtra, vt inquit Bernardinus Senenſis, vbi ſupra, & Eccleſia ad ipſam pro Filijs preces effundit, dicens, *Solue vincla reis*. Eccleſia.

Decima, & vltima Auctoritas eſt Euſebij Emiſſeni, *Homil. de Natiuit. Dom. Ipſe enim ſolus inter peccatores viuere potuit. Hæc ſola lux nullis tenebris eſt offuſcata, nulla caligine denigrata, nullis vitijs maculata*. Verum eſt quidquid hic dicit Pater, loquendo ſecundùm Ius commune, & ex propria virtute; At ſi loquamur ſecundùm diſpẽſationem, & ex Dei priuilegio ſpeciale, dependenter à ſuo Sanctiſſimo Filio, etiam B. Virgo Deipara poterat eſſe, ſicut vixit, ſine peccato, & nulla penitus macula denigrari, aut inquinari, ab inſtanti ſuæ puriſſimæ Conceptionis. Euſeb. E.

OCTAVA CHORDA, VEL VIA.

Decem Corroborata Pontificibus. Eccleſiæ Stabilitas.

QVod Sacra Scriptura firma, ſtabiliſq; in æternum ſit permanſura, habemus à Chriſto Domino, qui *Luc. c.22.* Petro Apoſtolorum Principi inquit, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos*. Hinc prudenter Phariſæis, præcipuè, qui Apoſtolos (quoniam Ieſu Chriſti nomen prędicabant, & Reſurrectionem, & Mortem) occidere putabant, Gamaliel vnus ex ipſis, *Act. cap.* 15. inquit in eorum conſpectu, quemdam fuiſſe Theodam, qui aliquem ſe eſſe ſermonibus iactabat, ſed occiſus fuit, & ſequaces eius quadringenti diſperſi. *Sinite illius* (de Apoſtolis loquitur Gamaliel) *quoniam, ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur; ſi autem à Deo, non poteritis diſſoluere illud, ne fortè Deo repugnare videamini. Conſenſerunt autẽ illi* Lucas. Act.

Hoc

Scotus. Hoc notat Scotus,vbi ſupra. Iſta veritas de Immaculata Virginis Conceptione, quot habuit, lingua, & calamo oppugnationes? At ſemper ſtabilis, ſemper firma,ſemper viguit, ſemper creuit, quia ex Deo eſt, ad Dei gloriam, & matris eius honorem: Non hominum, ſed Dei eſt conſilium. Quapropter ab Eccleſia per Pontifices Summos, & Conciliorum Auctoritates, ſemper (vt patebit) roborata, inconcuſſa permanſit, & incrementa ſuſcepit. Breuiter hoc oſtendemus in hac Chorda,Decem tantùm, ſecundùm ordinem Summos Pontifices per tempora diſpoſitos adducemus quorum quilibet per Breue huic noſtrę fauit veritati.

Summi, ac Maximi Pontifices Decem.

PRimus Pontifex ſit Alexander V. Franciſcanus,antea Petrus Philargus, aliàs Philaretus vocatus,qui Cathedram Petri aſcendit Piſis,anno 1409. meſe Iulij. Hic, non ſolùm, vt optimus Theologus, hanc probauit veritatem, in 3. *Sent. diſt.3. qu.* 1. vbi inquit, *Decentiſſimum, extitit, & conſonum maximè rationi, Beatiſſimam Virginem fuiſſe ab omni originali macula ſpecialiſſimè præſeruatã* (cuius ſcripta voluit videre Summus Pontifex Gregorius XV. tempore, quo Bullas pro Immaculata Conceptione edidit,prout inferiùs;Quocirca Alexandri folia manuſcripta, quæ in Bibliotheca Sacri Conuentus Aſſiſienſis aſſeruabantur, Romam translata fuerunt) Non ſolùm,vt inſignis Concionator habuit Sermones de Immaculata Cõceptione,ſed etiam, vt Summus Pontifex, & Paſtor Vniuerſalis Nic. Cic. Eccleſiæ. Quoniam vt ait Nicolaus Cichouius,Opuſculo,cui titulus,*Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis de B.Virg. Deipar. Innocent. Concept. Senten.* his verbis, *Alexander V. ante Pontificatum Puriſſimam Conceptionem calamo defendit, Pontifex factus, pro eadem Conſtitutionem Apoſtolicam edidit.*
Io. de V. Et prius Ioannes Varro, 3. *Sent. diſt.* 3. *qu.* 1. inquit, *San-*

Sanctissimus Dominus Papa Alexander V. approbauit opinionem Fratrum Minorum, & hoc fuit in Concilio Pisano, 1411. Hæc ex Ioanne à Carthagena, *Homil. Cathol. lib.* 1. *homil.* 19. §. 2. Sed fallitur vterque Ioannes de tempore, quia iste Pontifex obijt Bononiæ 1410.& Pisis discessit in fine anni 1409.vt tempora Romanorum Pontificum ab Historicis narrata, diligenter consideranti occurret. Ioau.à C.

Secundus Pontifex est Sixtus IV. Franciscanus, Franciscus de Ruuere antea vocatus,qui in Pontificem electus fuit Romæ anno 1471. mense Septembris. Hic fecit Bullam pro Festo Immaculatę Conceptionis,& ordinauit Officium, quod fuit dispositum per D. Leonardum Nugarolam,quæ Bulla incipit, *Cum præcelsa,&c. Sub.Dat.Romæ, Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnat. Domin.* 1476. *tert. Kalend. Maij, Pontific. ann.* 6. Et concedit omnibus recitantibus, vel audientibus dictum Officium Diuinum omnes Indulgentias, quas Vrbanus IV. Martinus V. & alij Summi Pontifices Romani illis Fidelibus concesserunt, qui recitant,vel audiunt Diuinum Officium in Festo *Sanctissimi Corporis Christi*. Sed quoniam aliter sentientes hanc veritatem prolapsi fuerunt calamo, & lingua, ideo prudentissimus Pontifex aliam Bullam edidit, quæ incipit, *Graue nimis,&c. Sub Dat. Romæ Apud Sanctum Petrum, anno Incarnat. Domin.* 1483. *prid. non. Septemb. Pontific. ann.* 13. In qua sic habetur, *Sanè, cum Sancta Romana Ecclesia, de Intemeratæ, semperq; Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebret, & speciale, & proprium super hoc Officium ordinauerit, non nulli (vt accepimus) diuersorum Ordinum Prædicatores, in suis Sermonibus ad Populum publicè prædicare non cessant omnes illos, qui tenent,aut asserunt eamdem Gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem absq; originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, & esse hæreticos; eiusdemq; Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesq; Sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare grauiter, sed,*

&,

& præfatis confectos ſuper his aſſertionibus libros in publicam ediderunt, quorum aſſertionibus, & prædicationibus non leuia ſcandala in mentibus Fidelium exorta ſunt, & maiora meritò oriri formidantur in dies. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, & peruerſis aſſertionibus, & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt (quantum Nobis ex alto conceditur) obuiare volentes, motu proprio, non ad alterius Nobis ſuper oblatæ petionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & certa ſcientia, huiuſmodi aſſertiones prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hęreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiuſmodi Officium Conceptionis celebrantes, ſeù huiuſmodi Sermones audientes alicuius, peccatum incurrere, vt potè falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſq; deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reprobamus, & damnamus, ac motu, ſcientia, & auctoritate præfatis, ſtatuimus, & ordinamus, quod Prędicatores Verbi Dei, & quicumq; cuiuſcumq; ſtatus, gradus, aut conditionis, aut ordinis fuerit, qui de cętero, auſu temerario, præſumpſerit in eorum Sermonibus ad Populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare huiuſmodi ſic per Nos improbatas, & damnatas aſſertiones, veras eſſe, aut libros quomodolibet affirmare pro veris, legere, tenere, vel habere, poſt quam de præſentibus ſcientiam habuerint, Excommunicationis Sententiam, eo ipſo incurrant, à qua, ab alio, quam à Romano Pontifice (niſi in mortis Articulo) nequeant Abſolutionis Beneficium obtinere. Item motu, & ſcientia, & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ, & cenſuræ ſubijcimus eos, qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet, Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum, &c.
Prudentiſſimus Pontifex decidendum fore exiſtimabat;

& nos

& nos modo ſperamus ad Matris Dei laudem , & gloriam .

Tertius Pontifex eſt Alexander VI. Rodericus Borgia Valentinus antea nuncupatus , qui Petri claues obtinuit anno 1492. menſe Septembris, Romę . Hic fecit Bullam, quæ incipit , *Illius, qui ſe pro Dominici Gregis, &c. Sub Dat. Romæ, Apud Sanctum Petrum, anno Incarnat. Domin* 1503. *Kalend. Martij.* Per quam Bullam confirmat Bullam illam præſcriptam Papæ Sixti IV. *Graue nimis , &c.* & adauget Pęnas contra inobedientes , & contradicentes prædicti Pontificis Decreto circa opinionem de Immaculata Conceptione Genitricis Dei Mariæ .

Quartus Pontifex eſt Iulius II. Iulianus de Ruuere antea vocatus , ad Summum Pontificatum euectus anno 1503. menſe Nouembris . Hic Pontifex inſtituit, & confirmauit Religionem Monialium ſub Immaculatæ Conceptionis Titulo , eiſque Regulam decreuit, in cuius primo Capite iubet, vt Moniales expreſsè profiteantur, dum habitum ſuſcipiunt , ſe illam veſtem induere , vt venerentur eam Virginis Marię Conceptionem Immaculatam. Et in ſecundo Capite præcipit , vt his verbis , Profeſſionem emittant, *Ego N. ob ſeruitium, & amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti , & Immaculatæ Conceptionis voueo , &c.* Bulla Confirmationis incipit , *Quæcumq; Deo illuſtrata, &c. Sub Dat. Romæ Apud S. Petrum, Anno Incarnation. Domin.* 1511. *quintodec. Kalend. Octobris, Pontific. anno* 8.

Quintus Pontifex eſt Pius V. Michael Ghiſlerius antea vocatus, Dominicanus, aſſumptus ad Pontificatum Romæ anno 1566. Menſe Ianuarij . Hic Pontifex fecit Bullam, quæ incipit , *Super Speculam , &c. Sub Dat. Romæ Apud Sanctum Petrum , anno Incarnation. Domin.* 1570. *pridie Kalend. Decembris, Pontificatus anno* 5. In qua confirmans Statutum Sixti IV. & Decretum Sacroſ. Concilij Tridentini , inquit , *De Apoſtolicę Sedis plenitudine , Statutum Sixti IV. prædeceſſoris noſtri, ſuper ea re, quod à præfata Synodo*

innouatum est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes) Apostolica auctoritate, tenore prçsentium, confirmamus, &c. Idem Summus Pontifex, *Die* 15. *Maij* 1569. viuæ vocis Oraculo concesserat, vt Fratres Minores potuissent recitare Officium Immaculatæ Conceptionis à D. Leonardo Nugarola compositum, quod nunc etiam omnes nos Minores recitamus. Immo idem Optimus Pontifex, non sine Spiritus Sancti afflatu, decreuit, vt Officium Conceptionis in Romana Ecclesia tota idem esset, quod recitatur in die Natiuitatis B. Mariç Virginis, solum voce, *Natiuitas*, in *Conceptio*, mutata, (Hoc idem longo tempore priùs, Abbati Helsinio reuelatum fuit, aduertit Hugo Siphilinus, *Corolla Virginea*, *Proposit.* 104. vt supra notauimus Chorda 2.) Ex quo factum est, vt hoc Festum Conceptionis Dei Genitricis ab Vniuersa Ecclesia vbiq; locorum celebretur; vt in Bulla, quam fecit idem Pontifex pro Officijs in Breuiario contentis, quæ, incipit, *Quod à Nobis Postulat, &c. Sub Dat. Romæ, anno* 1568. *die* 9. *Iulij*:

Sextus Pontifex est Paulus V. Camillus Burghesius antea vocatus, qui, vt Supremus Pastor, gubernare cçpit Christi Familiam Romæ, anno 1605. mense Iunij. Hic Pontifex fecit Bullam, quæ incipit, *Regis Pacifici, quamquam, &c. Sub Dat. Romæ Apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 6. Iulij* 1616. *Pontific. ann. decimo*. In qua innouat, & auget pçnas latas à suis antecessoribus, præcipuè à Sixto IV. & Pio V. contra firmiter docentes Beatam Virginem originalis peccati maculam contraxisse. Deinde volens euitare scandala, iurgia, & dissentiones, quæ in dies oriebantur, confirmat Decretum factum in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, Per Andream de Pectinis Inquisitionis Notarium, In quo hæc verba habentur inserta. *Præterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit,*

& præ.

& præcepit, ac præsentis Decreti virtute, mandat, & præcipit, omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & Instituti Regularibus, & alijs quibuscumque, tam Ecclesiastici, tam Sæcularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua eorum necessaria esset facienda mentio, vt in posterum, donec Articulus huiusmodi à Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscumq; actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes, &c. Hoc Decretum factum fuit, *fer.5. die 31. Augusti* 1617. Concessit idem Summus Pontifex Franciscanæ Religioni, vt qualibet die Sabathi, Festo nouẽ Lectionũ nõ impedito, Fratres possent recitare Officiũ de Immaculata Cõceptione, sicut solent in die Festo eiusdem, sed Ritu semiduplicis, vt clarum est ex patentibus literis expeditis ab Emin. D. Card. Frãcisco de Gioiosa, *sub die 30. Ianuarij* 1612. sicut attestatur Emin. D. Card. Cęsar Fachenettus, olim Sac. Rituũ Cõgregationis Secretarius *sub die 26. Mensis Februarij* 1638.

Septimus Pontifex est Gregorius XV. Alexander Ludouisius antea vocatus, qui regere cępit Vniuersalem Dei Ecclesiam Romæ electus anno 1621. mense Februarij. Hic Summus Pontifex confirmauit Decretum factum in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, *feria 3. die 24. Maij* 1622. Per quod Decretum prohibet, *Donec Articulus de Immaculata Conceptione à Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, aut per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes, &c.* Confirma Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pauli V. *Et insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissima, & Intemerata Virginis Mariæ*

Conceptione Festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam cuiuscumq; Ordinis, & Instituti Regularibus, mandat, & præcipit, vt in Sacrosancto Missę Sacrificio, & Diuino Officio celebrandis, tam publicè, quam priuatim, non alio, quam Conceptionis Nomine, vti debeant; Contrauenientes, &c. Andreas de Pectinis Notarius. Plura expectabantur in honorem Virginis, si diutius vixisset hic Summus Pontifex, sed Deus eum ad Cœlos vocauit.

Octauus Pontifex est Vrbanus VIII. antea Maphæus Barberinus vocatus, qui Christi Vicarius electus est Romæ anno 1624. mense Iulij. Hic Pontifex confirmauit Constitutiones multorum Pontificum suorum Antecessorum, *vt in Generali Congregatione S. Romanę Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Montis Quirinalis fer. 5. die* 14. *Aprilis* 1633. cuius verba sunt hæc (loquendo de Cōstitutionibus Pauli V.) *Eiusdē Constitut. 97. incipit, Regis Pacifici Innouatorię Constitutionū à Sixto V. & Pio V. de Conceptione B. Marię Virginis æditarum, impositionis maiorum pœnarum in transgressores à locorum ordinarijs, & hæreticę prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregorij XV. Constitut. 29. incipit, Sanctissimus Dominus noster auditis, &c. ampliatiuę, & declaratorię prohibitionis asserendi Beatam Virginem conceptam esse in peccato originali. Ioannes Antonius Thomasius Notarius.* Idem Summus Pontifex erexit Religionem Equitum Militiæ Christianæ, sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & sub Regula S. Francisci, vt ex Bulla, quæ incipit. *Imperscrutabilis diuinorum Iudiciorum, &c. Sub Dat. Romę Apud S. Petrum, anno Incarnat. Dom.* 1623. *pridie Idus Februarij, Pontificatus anno primo*. In huius Pontificis tempore, anno videlicet 1635. mense Septembris, solemnissima Processio facta est Romæ per Ciuitatem, toto Populo gaudente, plaudente, cum maximo, pulcherrimoq; Apparatu, & ornatu viarum, Elogijs varijs, tam versu, quam soluta Oratione dispositis, &

diuersis

diuersis Idiomatibus, Immaculatam B. Mariæ Virginis Conceptionem exprimentibus, ob translationem Sacratissimæ Imaginis B. Mariæ sub titulo,& deuotione Immaculatæ Conceptionis, quæ asseruatur in Ecclesia S. Laurentij in Damaso. Plurimasq; Indulgentias per Orbem concessit. Et Ecclesiam, quæ fuerat Minorum Conuentualium Reformatorum,sub nomine S. Antonij de Padua, à Patribus Cappuccinis obtentam, sub titulo Conceptionis Immaculatæ B. Mariæ Virginis,innouatam nuncupari concessit. Similiter Confraternitatem Sæcularium in præfata Ecclesia S. Laurentij in Damaso sub eiusdem Virginis Immaculatæ Deuotione, ad Animarum salutem multis Indulgentijs, & Apostolicis gratijs largiter decorauit, locupletauit.

Nonus Pontifex est Alexander VII. Fabius Chisius antea vocatus, ad Supremam Petri Sedem euectus Romæ anno 1655. mense Aprilis. Hic Pontifex ad preces Serenissimi Catholici Regis, & Episcoporum in omnibus Hispaniarum Regnis, cum suis Capitulis, Innouauit Decreta Summorum Pontificum Sixti IV. Pauli V. & Gregorij XV. ac pœnas in eorum Constitutionibus contentas auxit. Incipit Bulla, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,&c. Sub Dat. Romæ, Apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die* 8. *Decembris* 1661. *Pontificatus anno septimo*. Et hoc propter iam suborta scandala, iurgia, & dissentiones, & quæ timentur maiora, ob contrariam oppinionem asserentes. Confirmatq; prædictorum Pontificum Decreta, & pœnas adauget in transgressores prolatas, cum Censuris,cum prohibitionibus, & alijs,&c. vt dictum est, Committens Locorum Ordinarijs, & contra Hæreticam Prauitatem Inquisitoribus eosdem transgressores puniendi. Et ad Deuotionem Hispanorum in toto Regno,Officium de Immaculata Conceptione, cum octaua pro omnibus Ecclesijs concessit, quam gratiam, ad Venetorum Pietatem pro Clericis in eorum Ditione degentibus

beni-

benigniſſimè etiam extendi voluit;quod etiã alijs cõceſſit.

Decimus, & vltimus eſt Clemens IX. Iulius Roſpilioſus antea vocatus, ad Summum Eccleſiæ Apicem euectus Romæ anno 1667. menſe Iunij. Hic Pontifex ob maximam Deuotionem in Immaculatiſſimam Virginem, decreuit, vt eius Virginis Immaculatæ Conceptæ Officium cum octaua à Sac. Congregatione Rituum ordinanda, de præcepto recitaretur ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis. Quod extenditur ad omnes Ciuitates, Oppida, & Terras Apoſtolicæ Sedi mediatè, vel immediatè ſubiectas, vt per Breue, quod incipit, *Sinceram noſtri erga glorioſiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam Patronam, & Aduocatam noſtram Deuotio, &c. Sub Dat. Romæ Apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Octobris 1667. Pontificatus anno primo*. Plura expectabat Chriſtianus Orbis à Clementiſſimo Pontifice. Niſi mors omnium mœrore Fidelium, præripuiſſet.

Alij etiam Summi Pontifices hanc piam de Immaculata Conceptione Virginis veritatem fauoribus, & Apoſtolicis gratijs proſequuti ſunt, vt adnotauit Doctiſſimus, & Deuotiſſimus Hippolytus Marraccius Marianæ puritatis amantiſſimus, *lib. de Pontificibus Marianis*, vt Adrianus IV. Innocentius VII. Clemens VII. Paulus III. Leo X. &c. vt eſt videre, ſed breuitatis cauſa, denario numero inſiſtendo, omitto. Multa etiam ſperanda ſunt à Summo Pontifice Clemente X. cui Beatiſſima Virgo plurimos annos impetret à Filio Ieſu, vt humiliter precamur.

Decem Conciliorum Auctoritates.

QVod hæc veritas de Immaculata Deiparæ Conceptione ſit etiam roborata Cõcilijs, adnotauit Laurẽtius Surius, *Breu. Coment. Hiſt.* ad annum 1509. vbi inquit, *Opinio de Immaculata Virginis Conceptione, quam vidimus ab Eccleſia acceptam, & à multis grauiſſimis, & Doctiſſimis*

Viris

Viris fortissimè propugnatam, atq; etiam aliquot Conciliorum Generalium approbatione firmatam. Non erit igitur ab re Decreta, vel Auctoritates in Concilijs quoquo modo prolatas hic adducere, quę vel explicitè, vel implicitè hoc innuunt. Et Decem tantum erunt, iuxtà nostrum assumptum numerum.

Primum Concilium sit Hierosolimitanum à D. Petro Apostolorum Principe coactum, in quo de Virginis Puritate hæc fuerint prolata Verba; *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, in instanti suæ Conceptionis, fuit à peccato originali preseruata, & ab omni culpa immunis*. Sic ex Gundisaluo Lutzero Theologo Granatensi refert Ioannes Baptista Lezzana, *lib. Apologet. de Immacul. Concept. Deipar. Virgin.* Ioannes Baptista Nouatus, de Eminent. Deiparæ, *lib. 2. qu. 6. cap. 3.* Ioannes Serranus, *lib. 2. cap. 7. de Immacul. Concept.* Aegidius de Pręsentatione, & alij. Io.Ba.Le. Io.B.No. Io.Serr. Aeg.de P.

Secundum Concilium est Constantinopolitanum tertium. Sed sextum in ordine, *Act.* 11. Sub Agathone Papa, ex Epistola Synodica Sophronij Patriarchæ Hierosolimitani, quæ in dicta *Act.* lecta fuit, vbi habētur hęc verba. *Sciens officere Diuinam Operationem, & Vterum intactum Virginitatis ingressus, castitate lustratam Mariæ Sanctę, præclaræq; & quę Dei sunt sapientis, & ab omni contagione liberatę, & Corporis, & Animę, & intellectus incarnatus qui erat incarneus, & formam suscepit nostram*. Alij legunt, *Puritate lustratam, & contagione liberę*, Sic ex Binio. Et Orthuinus in Margine Codicis Conciliorum impressi Coloniæ, anno 1538. ait. *Nota de Puritate Conceptionis B.Mariæ.* Eamdem Auctoritatem affert Belarminus etiam ad hoc negotium, *t. 4. lib. 4. cap. 13.* At si aliquem vox illa *leberatę*, afficeret, legat præfatum Binium in Margine, & sciet, vt notat Suarez, *3. p. D. Thom. qu. 27. art. 1. disput. 3. sect. 5.* Quod in Codice Vaticano legitur, Ab omni Corporis, & Animę, & mentis labe liberā. Vel accipiatur, secūdū expositionē Ambrosij Catharini, vt in Quarta Chorda. Binius. Orthuin. Belarmin. Fr. Suar. Amb. Ca.

Tertia

Tertia Auctoritas est eiusdem Concilij, *Act.* 18. vbi habetur in Responsione Flauij Constantini ad Sermonem Prosphoneticum, hæc verba, quæ Puritatem omnimodam Beatæ Virginis ostendunt. *Confitemur, &c. per spontaneam se exinanisse humilitatem, & in Vulua illibatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ habitasse, & Animam, & Corpus ex Sancta, & Immaculata Carne eius in propria substantia Carnem suscepisse.*

Quarta Auctoritas est ex Concilio Niceno secundo, sub Adriano I. Sum. Pontifice anno 787. *Act.* 3. *Epist. Synodica* Patriarchæ Hierosolimitani Theodori, vbi habetur. *Cum cognoscant eam verè Dei Matrem, post Partum, & ante Partum Virginem qualibet intellectuali, & sensibili natura superiorem, gloria, & splendore ornatam.* Et inferiùs. *Veneramur, & adoramus Imaginem Deiparæ, & Dominæ nostræ irreprahensibilis, immaculatæ, & inexplicitæ Castitatis Matris.* Vel *inexplicatæ Puritatis.*

Quinta Auctoritas sit Concilij Francfordiensis, sub eodem Pontifice Adriano I. anno 794. In Epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ, vbi habetur, sub nomine Terræ, Mariæ Virginis Puritatem, sic: *Sed & hæc volumus à vobis audire, An Adam primus humani Generis Pater, qui de Terra Virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus? Si seruus, quomodo tunc Imago Dei? Si liber, quare & Christus quoq; non ingenuus de Virgine Muliere quidem Terra etiam animata, & immaculata, Spiritu Sancto operante factus est homo, dicente Apostolo, Factus est primus homo de Terra terrestris. Secundus de Cælo Cælestis. Si Terrenum liberum conditum, confitemur, quare non multo magis Cælestem liberum confitemur.*

Sexta Auctoritas sit Concilij Cęserauguſtani, sub Gregorio VII. Summo Pontifice, anno 1078. vbi Beata Virgo Maria vocatur Immaculata: *Statuimus, præcipimus, & ordinamus, volumus, & mandamus, quod de cætero Festum Conceptionis ipsius Virginis; quod est octaua die, mensis Decem-*

Decembris, tam à Clericis, quam à Populis per Ciuitatem, & totã Cęsaraugustanam Diœcesim, singulis perpetuis temporibus, celebretur, colatur, & seruetur, ab omni seruitio, & feriali opere quiescendo. Ex Ioan. Eusebio Nierembergio in *Except. cap.* 8. Nieremb.

Septima Auctoritas sit Concilij Cantuariensis, sub Nicolao III. Summo Pontifice, anno 1280. vbi habetur, *Quia inter Omnes Sanctos memoria Beatissimæ Virginis, & Matris Domini, & frequentiùs agitur, atq; festiuitas, quo maiorem gratiam apud Deum (qui eius Conceptionem prædestinatam à Filij Vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit) creditur inuenisse Venerabilis Anselmi Prædecessoris nostri, &c.* Sic ex Ioanne Baccono, *Quolib. lib. 3. qu. 3.* & ex alijs. Io. Bacc.

Octaua Auctoritas est Decretum Concilij Basileensis anno 1439. incepti sub Eugenio IV. Summo Pontifice, vbi post longam, & maturam discussionem pro vtraque sententia, sic habetur Sessione 36. *Nos verò diligenter inspectis auctoritatibus, & rationibus, quæ à pluribus annis, in publicis relationibus, ex parte vtriusq; Doctrinæ, coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, alijsq; plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem Gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præueniente, & operante Diuini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, Sanctamq; & Immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus. Nulliq; de cętero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere. Renouantes præterea Institutionem de celebranda Sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur, statuimus, & ordinamus eamdem celebritatem, præfata die, in omnibus Ecclesijs, Monasterijs, &*

 Conuen-

Conuentibus Christianæ Religionis, sub nomine Conceptionis, Festiuis Laudibus, &c. Dat. Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi celebrata 15. *Kalend. Octobris*, 1439. Hoc totum Decretum referre placuit, non ad valorem, sed vt ostendatur diligentia à Patribus ibi congregatis adhibita, quanta fuerit pro Conceptione Immaculata declaranda. Nec officit asserere hanc Synodum non fuisse legitimam; quia fuit legitimè congregata, estò non fuerit legitimè completa. Hinc Franciscus Suarez, *in* 3. *p. D. Thomæ, qu.* 27. *art.* 1. *disput.* 3. *sect.* 5. ait, quod quamuis hoc Concilium non sit legitimum, hoc est propter Schisma, non propter aliquam Hæresim; quia sub obedientia Papæ non processit, & in his, quæ ad Pontificem non spectant, magnam habet Auctoritatem, & saltem magnum circa hanc veritatem Ecclesiasticum Episcoporum consensum ostendit. Et Belarminus, *t.* 4. *Contr. lib.* 4. *cap.* 15. nom improbat hoc Concilij Decretum, saltem ex Patribus, qui in illo interfuerunt, qui vnanimes consensere.

Franc. Su.

Belarmin.

Nona Auctoritas fit ex Concilio Prouinciali Aueniononensi anno 1457. Præsidente Petro de Fuxo Cardinali de Latere Legato, & Cardinali Alano, tresdecim Episcopis coacto, in quo sic statutum fuit, *Decretum in Concilio Basileensi de Conceptione B. Virginis Mariæ statuimus inuiolabiliter obseruari, districtè omnibus inhibendo, sub Excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid contrarium prædicare, vel publicè disputare audeat, quod si secus fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus, ipso facto*. In quo etiam sancitum fuit, quod in Synodis aliarum Ecclesiarum idem decerneretur, & ab omnibus Curatis ad suos Parochianos prædicaretur. Ex Hippolytho Marraccio, *lib. Purpura Mariana*.

Hip. Mar.

Decima, & vltima Auctoritas est Decretum Sacrosancti Concilij Tridentini, *Sess.* 5. *Decreto de Peccato originali*, vbi habetur, *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus non*

esse

esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fælicis Recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat. Quemadmodum fecerunt plures Summi Pontifices, vt est videre in proprijs Bullis.

NONA CHORDA, VEL VIA.

Decem Illustrata Miraculis. *Miraculorum Claritas.*

CLaritas, & veritas Miraculorum nostram confirmauit Catholicam Fidem, inquit Scotus, vbi supra. Scotus.
Inter omnia Christianæ Fidei Miracula, contra eos, qui vera Miracula negãt, Vnum hoc Miraculũ pro Fidei veritate affert Augustinus, *lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 5.* (loquendo de Resurrectione, & Ascensione Christi Domini) Aug[ust]. *Hoc nobis vnum*, inquit, *grande Miraculum sufficit, quod eam Terrarum Orbis sine vllis Miraculis credidit.* Si Pauperculis, imperitis, despectis viris totus Mundus credidit, quid mirabilius? Si Miracula scripta duri cordibus respuunt, ergo nulli est præstanda fides. Nolumus hic de veritate, & falsitate Miraculorum, eorumque discrimine, sermonem facere, quoniam sufficit, quod vera, & non falsa sint testimonia veritatis. Videndus est circa hoc Augustini *lib. de Vtilit. credendi*. Opera Christi suam Diuinita- Idem. ostenderunt, quapropter ipse Saluator noster dixit, *Ioan. c. 5. Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent* Ioannes. *de me, si mihi non vultis credere, operibus saltem credite.* Ob istam veritatem Immaculatæ Conceptionis, patrata Miracula, illam predicant, manifestant, confirmant. Non dicimus, quod hæc peculiaris Fidelium Deuotio erga Immaculatam Virginem, eiusq; Conceptionem Miracula operetur. Quoniam neque aliæ piorum Christianorum Deuotiones in Beatissimam Virginem Deiparam, vt de

Rosario, de Monte Carmelo, & aliæ plurimæ ita à Fidelibus frequentatæ operantur Miracula, quæ humiliter, vt à Catholicis narrantur, credimus; Sed Dominus Iesus Christus, qui ob easdem Deuotiones in Matrem dilectissimam, seruis suis Miracula patratur. Sic de Immaculata Conceptione loquimur, & Miracula narramus, quæ ab Auctoribus autenticis excerpsimus.

Primum Miraculum sit, quod plures Auctores narrant, de Alexandro de Ales Doctore irrefragabili Præceptore, (vt Ioannes Ludouicus Sconleben Decanus Cathedralis Labaci scribit) Sanctorum Doctorum Angelici Thomæ, & Seraphi Bonauenturæ, ab Innocentio IV. Summo Pontifice, *Fons Vitæ*, nuncupato, & Scholasticæ Theologiæ Professore, vel Auctore. Hic insignis Doctor, & Magister scribit in Opere ab ipso compacto, *Mariale*, tres libros complectente, quorum Primus prætitulatur, *De Genealogia B. Virginis*, & incipit, *Sancta, & superlaudabilis semper Dei genitrix Maria, ab æterno præuisa. In 3. lib. cap. vlt.* cui titulus, *De Conceptione Beatæ Virginis*, & incipit, *Fiat Lux*. Post responsionem ad intentionem quorumdam dicentium, Virginem conceptam fuisse copula maritali, inquit, *Nonnè possibile est, quod talis actio, ad inspirationem Spiritus Sancti perpetrata, & speciali præcepto completa, absque omni peccato exerceretur?* Et post pauca sequitur, *Ego ipse, qui hæc scribo, dum publicè legerem in Theologia, vehementer erraui, asserendo, quod dies Conceptionis Beatę Marię celebrandus non esset. Vnde & quolibet anno, illa Die, legere decreueram, sicut, & in profestis diebus consueueram. Sed protestor solemnissimè, quia repentino morbo vexatus fui Oxoniæ, singulis annis, illa die, ita quod nullo modo susceptum Magisterij Officium exequi valerem: Siuè casus ageret, siuè diuina voluntas, quisquan considerare potest. Sed, & viri prudentes, qui me tunc temporis in Scholis audierunt, me seuerè corripuerunt, eo quod impugnare velle videbar diem Festum celebrantes Conceptionem Beatę Virginis. Ego verò doceo, assero*

Alex. Al.

illos

illos bene vidisse, & potius in hoc comendandos fore, qui piè, & deuotè dictū diem celebrare satagunt in honorem perpetuæ Virginis Mariæ. Hęc in Addition. Historię Lombard. & in Officio Conceptionis cōposito à Patre Bernardino de Bustis, approbato à Sum. Pontifice Sixto IV. per Breue, quod incipit, *Dilecte Fili, &c. Sub Dat. Romę Apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die* 4. *Octob.* 1480. *Pont. ann. x.* Et indie octaua, *Lect.* 4. legitur illū etiam in fine vitæ cātauisse, *Tota pulcra es Maria, & macula originalis, aut mortalis, aut venialis in te nunquā fuit.* Et his dictis fęliciter migrauit ad Dominū, meritis eiusdē intemeratę Virg. Videndus est Pelbartus Stellar. *lib.* 4. *p.* 2. *ar.* 3. Ioann. de Segouia, *Allegat. pro Imm. Cōcept.* Ioann. Bapt. Lezzana, Ioannes à Carthagena, & alij plures.

Histor. L. Ber. de B. Pelbart. Io. de Se. Io. Ba. Le. Carthag.

Secundū Miraculū fit, quod abstuli à moderno Auctore Hugone Siphilino, *Corolla Virginea*, ex alijs, vt est videre. *Currebat*, inquit, *annus supra millesimū quadringētesimus vigesimus quartus, cum sexto Idus Septembris, quo die Virginis Deiparæ Ortus, festiuo cultu ab Ecclesia celebratur Minorissæ (Manresam appellat vulgus) Oppidū scilicet Barcinonensis Ecclesię Collegiatę (vt vocant) eiusdem Oppidi Canonici à quodam Frācisco Planes, instigāte Diabolo, qui sub hominis forma, & specie, se illi videndū prabuerat, & Muleto calumniam affinxerat, pugione per summū scelus in ipso principe Tēplo confossus, & interfectus est. Sed vix per aliquot horas ex animis iacuerat, cū denuò in vitā (Deiparę Virginis Opera) & intercessione reuocatus est, & multis audiētibus, quorū testificationes publica auctoritate exceptæ sūt, distincta voce asseruit, se, dū prius viueret, in ea opinione fuisse, quę illibatę Virgini originalem maculā aspergit, eamq; maiore, quā par esset, pertinacia, nō propūgnasse modo, verū etiam pro viribus promouisse, ac proinde, permittente Deo, iusto scelerum vindice meritas se dedisse pęnas, violenta morte illata, sicarij manu, cui nunquā alias, vel minimā offensionis occasionē prabuerat. Seq; ad Dei Tribunal in maximā salutis discrimē adductū fuisse, propter mentis pertinaciā, quā in præfatę opinionis Defēsione, nō sine multorū scādalo præsetulerat, sed eiusdē*

Hugo Si.

Clemen-

Clementissimæ Virginis gratia, quam alioquin singulari cultu prosequutus fuerat, in vitam fuisse reuocatus, breui tamen in nouem scilicet horas secundò moriturum, accitoq; Sacerdote, qui ipsimet à Confessionibus erat, eidem Animi noxas aperuit, & ab eo vicissim Sacramentalis Reconciliationis beneficio donatus est, & in omnes ad piam Sententiam tenendam, & defendendam grauissima Oratione hortatus est, in cuius gratiam tam luculenter testificationis argumentum, vel ipsis oculis perciperent. Tantulum Iusculi à pijs fœminis porrectum est, sed ipse renuit attestatus fore, vt post aliquot horas hanc secundam vitam cum secunda morte commutaret, quam, eo dumtaxat fine, Deus illi concesserat, vt publica, eaq; præsenti Confessione præteritæ contumaciæ scelus elueret, & inaudito hactenus testimonio per Sententiæ veritatem confirmaret; Et verò hora condicta, iterum obijt, & solemni ritu eius Corpus in sublimi tumulo, singulari prærogatiua, nemini hactenus concessa, collocatum est. Interfector vltimo furcę supplicio affectus, pœnas meritas dedit. Totiusq; Miraculi series, & ratio in telis primùm pendulis depicta fuit, sed cum prę vetustate colores deficerent, in sex Tabulas pictura traducta est, quę in Sacello Confraternitatis, vt vocant Immaculatę Conceptionis, in Claustro eiusdem Ecclesię sito etiam nunc asseruantur, & omnium oculis subiciuntur. Hæc ille? Immò dicit anno 1484. 1525. 1618. & 1653. de hoc Miraculo inquisitionem ordinatam fuisse, sicut etiam alios, qui diuersis temporibus scripserunt, Auctores narrat, vt est videre.

Histor.L. Tertium Miraculum fit, quod refertur in *Addit. Histor. Lombard.* loquendo de Miraculis, quæ in Synodo Basileensi à Viris fide dignis, vel disserendo, vel prædicando de Purissima Matris Dei Conceptione, narrabantur, vbi habetur, *Inter quos autem Reuerendus in Domino Pater, & Dominus Bernardus Episcopus Montis Albani, die Sabathi,* 21. *Aprilis, Anno à Natiuitate Domini,* 1436. *quando prima Allegatio facta fuit publicè de hac materia, retulit, qualiter, eo equitante super Pontem Fluuij, qui est inter Ciuitatem Ebredin,*

din, & Oppidum Sancti Crispini; Ipse Pons erat ruptus in medio eo loco super Flumen, vbi erat maius periculum, habens vnum magnum foramen, & eo inaduertente, equus, quem equitabat, transiens ex illa parte, vbi Pons ruptus erat, posuit duos pedes anteriores super dictum foramen vacuum. Cum rueret in præceps ad aquam, & in qua caput equi esset quasi infra Pontem, concussus pauore magno, inuocauit Beatissimam Virginem in auxilium vouens celebrare annuatim Festum de sua Sancta Conceptione, & nesciebat referre qualiter exiuit; Sed statim absque læsione aliqua sui, & equi, vidit se positum in sicuro ab altera parte Fluminis, Vnde ex tunc maiori semper cum deuotione continuauit celebrationem tantæ Festiuitatis. Hæc ibi. Et Ioannes de Segouia vbi supra. Io.de Se.

Quartum Miraculum fit, quod refert Bernardinus de Bustis, *Marial.p.p. Serm.* 1. *p.* 2. *l. N.* inquiens, *Nam in Ciuitate Aquilana, cum R. P. Bernardinus Feltrinus nostri Ordinis prædicasset, atque Populum hortatus fuisset, vt in tribulatione sua, Beatam Virginem deprecaretur, vt eum liberaret ob reuerentiam suæ Immaculatæ Conceptionis, quædam Mulier, finita prædicatione, ad Domum reuersa, inuenit Puerum suum gladium mane tenentem. Cum Mater exclamaret, timens, ne aliquid mali faceret, Puer cœpit cum gladio fugere, & in cursu gladium ad pectus, casu posuit, & super eum cecidit, quod videns Mater eius statim eleuauit vocẽ ad Beatiss. Virginem Mariam, rogans eam, vt ad reuerentiã suæ purissimæ Conceptionis, Filium suum à tanto periculo defensaret. Mirabile, dictu, Cum gladio omnes pannos dicti Pueri pertransisset, atq; vsq; ad carnem nudam peruenisset, statim se reflexit, ac si esset cera mollis, in nullo Puerum læsit.* Hæc ille. Ber.de B.

Quintum Miraculum fit, quod refert Pelbartus de Themesuuar, *Stellar. lib.* 4. *p.* 2. *art.* 3. *Mister.* 3. cuius hæc sunt verba. *Refert Vitalis in suo Opusculo vocato, Defensorium Beatæ Virginis, Quod quidam Ierardus de Piscatijs Ordinis Minorum cum prædicaret contra Conceptionem Mariæ, & postea Missam celebraret, Beata Virgo apparens sibi*

Eucha-

Eucharistiam abstulit, & tandem pœnitenti restituit, & ille, dicta reuocando, enarrauit in Laudem Virginis. Hæc ille.

Sextum Miraculũ fit,quod;Velitris accidit,anno 1486. Dum enim Pestis sęuitia istam Ciuitatem deprimere,nec humanum auxilium habere posse męstissimi Ciues experirentur; Pro sanitate impetranda, ad misericordiarum Matrem, Spiritu ducente diuino, humillimum habuere confugium. Votoq; facto de Conceptionis Immaculatæ Festiuitate solemniter celebranda quotannis, atq; à cunctis vnanimiter Ciuibus, ex corde, solemniter obligatione declarata, Cappellam construere, Altareq; erigere decretum est. Subito Miserorum Aduocata clementissima, Ciuium humillimis precibus annuit, & Pestis, quę ad desolationem vsque crudeliter affligebat, sua Potētia, euanuit, & supplices Veliternos insperatæ sanitati restituit. Hinc læti Ciues vnanimes promptè Diuæ Virgini Deiparę Festini vota reddidere. Construxerunt Cappellam cũ Altare, Confraternitatem Albo Colore decoram Eminen. Præsulis Diœcesani auctoritate instituerunt.Hoc Miraculum Epigrammate sequenti, quod marmore incisum est,ac nuncvsq; cernitur,ad Benificentissimæ Patronæ, & Matris honorem, in propria Cappella continetur.

Pestilitas quateret miseras cum magna Velitras,
Curritur ad Fontes, Virgo Beata, tuos.
Conceptum statuunt votis celebrare precantum
Brumalis Solis, qui statione redit.
O pietas, subito Pestis fugit anxia, Donum,
Cellula pro meritis, Araque cultu datur.

Pictura exprimebatur in Cappella erecta, Magistratus,& Ciuium votum, ac Purissimæ Virginis imploratum auxilium (vt ipse vidi) sed vel temporis iniuria, vel aliorum incuria, ne dicam inscitia, deleta est. Vnum addere non erubescam, memoria non indignum. Cum anno 1643. Eminen. D. Cardinalis Lantes Episcopus, Protector, & perpetuus Gubernator Velitrarum S. Romanæ Ecclesiæ

Cardi-

Cardinalis Decanus, miræ pietatis Princeps, Episcopalem Aulam amplificari, instaurari, & ad moderniorem formam redigi suo ære vellet; Die Conceptionis Immaculatæ, dum Missarum celebrabantur solemnia, & Concio de purissimę Virginis Innocentia in Cathedrali Ecclesia habebatur, Lapidicinæ, Cimẽtarij, ac alij huius Generis Artifices, absq; tantæ Festiuitatis respectu (ex ignorantia forsan) sedulo laborabant (mirabile dictu) totum ædificiũ sequenti nocte ruit, nullo periclitante: omnium cogitatu quod ob irreuerentiam in Beatissimam Virginem sub Conceptionis suæ purissimæ deuotione adorandam, & ex toto corde colendam, hoc acciderit, non contemnendum. Hæc ipse vidi. Ob id anno 1630. In Castro Rocchę Ouerani, inter Langas, in Domo Illustrissimorũ de Scarãpis pestis crudeliter seuiẽtis periculũ omnes euasimus, per exteros etiã occasione delata, quoniã me hortãte votũ emisimus ad Virginẽ Immaculatæ Conceptam colendam; sicq; Matre Dei protegente omnes incolumes sęuitiæ tẽpus, 1630. & 1631. trãsegimus. Auctor.

Septimum Miraculũ fit, quod narrat Zacharias Bouerius *Annal. Capucinor. t. 2.* cuius hęc verba sunt, *Circa hæc tempora* (scilicet anno 1586. *Sęua quædã lues Genuensẽ Vrbem inuaserat, quæ cũ nullo consilio, aut ratione sedari posset, innumeros quotidie homines depascebatur. Quamobrem Fr. Augustinus Albintimiliensis, qui tunc eam Prouinciam moderabatur, Fr. Zachariæ Trebinensi, & Bernardino Cheriẽsi accitis, secretũ cum his Consilium inijt, vt totam noctem insomnem ducerẽt, in qua à Deo opem pro ea Vrbis calamitate postularent. Tribus igitur hisce Patribus, quorum apud Deum plurimum merita valebãt, in oratione pernoctantibus, adfuit Clementissimus Dominus, singulisq; quid pro liberatione agendum esset, reuelat, nimirum, vt Genuensis Status publicè ad Immaculatæ Conceptionis B. Virginis honorem supplicatione instituta, voto ab omnibus nuncupato, illius diei Festum perẽni cultu celebraret. Quod cũ pia Reipublicæ Duce, ac cęteris Senatoribus ab his indicatum fuisset, illis Cælesti Consilio acquiescentibus. Vrbs protinus à peste liberatur.* Hæc Bouerius. Zac. Bou.

Od. Rain. Octauum Miraculum fit, quod refert Odericus Rainaldus Taruifinus in *Addit. Annal. Baronij ad annum* 1361. vt infrà. *Tradit Michouius, hoc anno inflictam diuinitus repentinam mortem cuidam Prædicatori, dum è Sacro Suggestu Virginem peccati originalis labe non caruisse, declamabat: Anno, inquit, Domini*, 1361. *quidam Lector Ordinis*...... ...... *in Gracouia Frater Paulus nomine coram Clero, & Populo, in maiori Ecclesia Gracouiensi Beatam Mariam Virginem, non absque peccato originali fuisse, in Polonico declamans, & prædicans, cecidit, & expirauit. Eadem narrantur in Fasciculo temporum ex Henrico de Hassia*. Hæc ille: Fe. Spon. Quod narrat etiam Federicus Spondanus, *t. p. ad Annal.* Pelbartus. *Baronij*. Pelbartus *Stellar. lib.* 4. *p.* 1. *art.* 3. *mist.* 3. Io. de Seg. & Ioannes de Segouia, vbi supra.

Carthag. Nonum Miraculum fit, quod refert Ioannes à Carthagena, *Homil. Cathol. lib.* 1. *homil.* 19. §. 4. De Serenissimo Ferdinando Hispaniarum Rege, & eius Serenissima Vxore. Sic scribens, *Nouit etiam vniuersa nostra Hispania, quod cum Serenissimus Rex Catholicus per multos annos elaborasset pro capienda inclita, & inexpugnabili Vrbe Granatense, tandem ad purissimæ Virginis Adiutorium confugiens, deuotè vouit cum Serenissima Consorte Regina, si eis de prædicta Vrbe Victoriam præstasset, primum illius Ciuitatis Templum, in honorem suæ Immaculatæ Conceptionis consecrandum, quo emisso voto, gloriosam ab inimicis Victoriã reporta-* Lezzana. *tarunt*. Hæc ille. Quod Miraculum refert etiam Ioannes Baptista Lezzana in *sua Apolog. pro Immacul. Cõcept. cap.* 13.

Decimum, & vltimum, aliis plurimis, (vt nostro Denario numero insistamus) silentio inuolutis, fit, quod re- Aeg de P. fert Aegidius de Præsentatione, *lib.* 3. *de Immaculata Concept. B. Virgin. qu.* 6. §. 4. qui ait. *Hoc loco vnum referam, Quod anno præterito, Hispali* (vulgo Siuiglia) *non sine omnium admiratione contigit, & ego typis excussum vidi. Nam Mulier quadam audiens Cantilenas in Laudem Conceptionis B. Virginis à pueris publicè decantari, ducta zelo huius Misterij,*

Filio

Filio Infanti quatuordecim Mensium, vix adhuc verba promenti, quem vbera sugentem habebat, praecepit, vt in Laudem Conceptionis Immaculatae B. Virginis, eamdem Cantilenam decantaret, quod infans fecit, Cantilenam distinctè proferens, & altè decantans; Quo Miraculo omnes Vrbis incolae excitati in publicum B. Virginis Laudes proruperunt, Puritatem Conceptionis eius deuotiùs decantantes. Hæc ille. Si quis plura Miracula Beatissimæ Deiparæ videre cupit; legat citatos Auctores. Et modernum Fr. Thomam Galiardum Capucinum, à quo duobus voluminibus multa, magnaq; narrãtur. Tho. Gal.

DECIMA CHORDA, VEL VIA.

Decem relata Testimonijs. Testimonium eorũ, qui foris sunt.

NOn est speciosa laus in ore peccatoris, inquit Ecclesiastes, *cap.* 15. nihilominus Paulus 1. *ad Thimot. cap.* 3. loquendo de Episcopis, dixit, *Oportet autem illum, ab ijs testimonium habere bonum, qui foris sunt*; quod prædicat Ambrosius ijsdem verbis, *lib.* 2. *in Luc. cap.* 1. dicens, *Oportet enim Sanctos, & ab ijs testimonium habere, qui foris sunt.* Non sine ratione igitur, inquit Scotus, vbi supra *in* 2. *quaest. Prologi Sent.* ad Laudem Christi Domini affertur auctoritas Iosephi Hebræi, qui, *lib.* 18. Laudibus eum extollit. Et Augustinus, *lib.* 18. *de Ciuit. Dei cap.* 23. Sibillæ verba de Saluatore nostro refert. Et *contr. Faust. Manichaeũ lib.* 13. *c.* 15. inquit, *Sibilla porrò, vel Sibillae, Orpheus, & nescioquis Hermes, & si qui alij Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philosophi Gentium, de Filio Dei, aut de Patre vera praedixisse, seu dixisse perhibentur.* Sic similiter aliqua testimonia eorũ, qui foris sunt, idest, extra Romanæ Ecclesię ouile degũt, pro Immaculata Conceptione Mariæ Virg. afferemus, vt magis clarescat veritas; quod Bonauentura his verbis amplectitur, 3. *Sẽt. dist.* 3. *art.* 2. *qu.* 3. inquiẽs, *Nec vilipendendũ est illud infidelium testimonium, Oportet enim testimonium habere ab his,*

Ecclesiast. 1. Thimo. Ambrosius. Scotus. August. Bonãu.

qui foris sunt. Loquitur de B. Virgine de qua aliqui Iudæi bene loquebantur. Omnes enim cuiuscumq; Sectæ Generationes, Benedictionem, & Innocentiam Matris Dei prædicare possunt: Sic ipsa Mater Sanctissima in suo Cantico *Luc. cap.* 1. dixit, *Ex hoc Beatam me dicunt omnes Generationes.* Si ad benedicendum laudandumq; Deum, omnia eius opera, & animata, & inanimata, & munda, & immunda excitantur, vt Daniel, *cap.* 3. & *Psalm.* 143. quare ad Laudes Virginis canendas, mundos, & immundos homines conuocare non possumus? Si, non solùm Reginæ, sed etiam Concubinæ, quę cum alijs amatoribus fornicatæ sunt, Sponsam purissimam laudant, *Cantic. cap.* 6. Quare rationales creaturæ, quæ cum alijs, relicto Deo, coniuncti sunt erroribus, non poterunt Spiritus Sancti Sponsam Immaculatã Laudibus offerre? Ob id non desistemus, quamuis indigni, quoniam, vt inquit Hieronymus, ad *Paul. & Eustoch. Noli cessare à Laude, quia inde promittitur venia, &c. tamen & si nemo ad hęc idoneus inuenitur, votis omnibus cessare non debet, quilibet peccator à laudibus, quamuis explere non queat, quod sentit.* De Virgine hic loquitur. Si extraneorũ Auctoritates adducemus, ad aliquid erunt. Nam Augustinus vbi supra, inquit, *Valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem euincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt*; Sic similiter, si testimonia afferimus exterorum (vt diximus in initio pro nostra pusillitate) non ad amplectendam eorum auctoritatem, sed ad reuocandos, si qui sint, negantes veritatem, quam etiam extranei publicè affirmauere. Decem quapropter testimonia adducemus, & breuiter, vt breuior omnibus sit hæc vltima Via, vel Chorda nostri humillimi laboris in honorem Immaculatissimæ Deiparæ Conceptionis, sua Protectione, assumpti.

Daniel. Psalmus. Cantic. Hieron. August.

Primum Testimonium sit Hebræorum, qui dicebant, quod cum Deus plasmaret Adam, fecit quasi Massam, ex cuius parte nobiliori intemeratæ Matris Messiæ materiam accepit;

accepit; ex residuo verò, & superfluitate Adam formauit. Ex materia autē Immaculatę Matris Messię facta est virtus, quæ in nobiliori loco, & mēbro Corporis Adæ conseruata fuit, quę postea emanauit ad Seth, deinde ad Enas, deinde succedaneo ordine ad reliquos vsq; ad S. Ioachim, Ex hac demū virtute Beatissima Mater Messiæ formata fuit. Hinc vocant Mariam Petram primariam, ex qua excidēdus erat Messias. Ex quibus omnibus concluditur, Hebræorū antiquorum testimonio, ex eorum mente, Matrem Messiæ non fuisse peccato originali infectam, Sic Petrus Galatinus scribit, *lib. 7. cap. 3.* Quod tangit etiam Ioannes Echius, *t. 3. hom. 5. de Annunciat. Mariæ.* P.Galat. Io.Ech.

Secundum Testimonium sit impij Ebihorayre, qui fuit Socius Mahumedi, in *libro AlboKari* inter Saracenorum libros inaniter autentico, & inquit, *Quod audiuit Nunciū Dei* (sic appellat Mahumedum) dicentē, *Nullus nascitur de Filijs Adam, quem non tangat Satan, quando nascitur, & ideo plorat vociferans ex tactu Satan, pręter Mariam, & Filium eius.* Ex eodem Petro Galatino, *lib. 7. cap. 5.* Hæc eadem quasi verba refert Beidaui Arabs Alcorani Interpres, *Prophetę*, inquiēs, *super quo Pax* (Mahumedum intelligit) *dictum, seu Apophtegma fuit, nemo ex natis nascitur, quem tempore natiuitatis Satan non contrectet, quo contactu deformis homo redditur, Maria excepta, & Filio eius.* Ita refert Ioannes Henricus Hortingerus Tigurinus, *Histor. &c. Oriental. lib. 3.* Id. P.Gal. H Hort.

Tertium Testimoniū est Ebumuce, qui etiā fuit Mahumedi Socius. Hic, in libro prætitulato Mezlim, & est autēticus apud Turcas, refert Mahumedum dixisse. *Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla verò perfecta fuit vnquā ex mulieribus, nisi Maria Mater Iesu*; ex eodem Petro Galatino ibidē. P.Galat.

Quartum Testimonium sit Nobilis Saraceni, qui fuit Nepos Soldani, & Filius cuiusdā Regis Vltramarini, existentis Romæ in Domo Domini Cardinalis Prænestini, & hanc affirmauit veritatem, sic arguendo, omne ædificium habens fundamentum defectuosum, facit defectuosū, quod super-

superædificatur, ergo si Mater Christi fuisset defectuosa, diceretur Christus habuisse fundamentū defectuosum, & incongruum,&c.Insuper plus dilexit Deus Matrem suam, & circa eam plura fecit, quam Pater meus circa me; sed Pater meus fecit me liberum quantum potuit, in die Na-
B. Bustis. tiuitatis meę,ergo & Deus,&c.Hæc Ioānes à Capistrano, referente Bernardino de Bustis,*Marial.p.1.Serm.6.p.1.l.B.*

Quintum Testimonium sit alterius nobilis Saraceni, vt infrà. *Anno 1322. Præsidente Ioanne Vigesimo Secundo in Sede Apostolica,venit quidam Sultani Filius,Græca,& Latina Lingua eruditus, ad nostras partes Latinas cum Saluo conducto, ad videndum mores, & Ritus Christianorum,qui fuit acceptus Auenione, in Curia Papæ cum magno honore,qui postridie intererat solemnitatibus Diuinorum Officiorum, in quibus maximè delectabatur. Et accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quod quidam ascendit ad prædicandum, in qua prædicatione voluit probare per quasdam Auctoritates Sacræ Scripturæ Virginem Mariam contraxisse culpam originalem, quibus verbis auditis, in tantum fuit scandalizatus ille Filius Regis Armeniæ, quod surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ, & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis,qui erant Capita Christianę Religionis, & talia tolerarent audirè de Virgine Maria. Vnde etiam dixit,quod si quis dixisset in conspectu Cœliphę, aut Sultani Aegipti,aut in conspectu aliorum Saracenorum, nullo pacto posset euadere mortem, & quod ab omnibus lapidaretur, quantumcumque ille esset magnus; Immo si quis talia dixisset de Matre Mahometi, nullo pacto euaderet mortem. Et sic ille totaliter scandalizatus reuersus est in Regimen suā,qui ante deliberauerat Baptismū suscipere.* Hæc refert Ia-
Iac. de V. cobus de Valētia Episcopus Christopolitanus super *Ma-*
Fr. Mart. *gnificat*,& Franciscus Martini Carmelita,qui plura narrat.

Sextum Testimonium sit Martini Lutheri, qui ante Apostasiam à Fide,fertur in Concione de Cōceptione impressa anno 1536. dixisse, *Mariæ Conceptio piè creditur sine peccato originali facta esse,vt scilicet in ipsa Animæ Infusione,*

etiam

etiā ab originali peccato purificata fuerit, diuersis dotibus redimita ad accipiendā Sanctā Animā à Deo ipso infusā; atq; ita in primo momento, cum viuere inciperet, omnis peccati expers erat. Post Apostasiam verò, teste Ambros. Catharino, *Opusc. pro Immacul. Concept. p. 2.* idem Lutherus dixit, *Nullum Festum magis odi, quam festum Corporis Christi, & Conceptionis B. Mariæ.* Sic etiam refert Mauritius Hilaretus, *Homil. de Conceptione.* Am Cath. Mau' Hil.

Septimū Testimonium sit Erasmi Rotherodami, qui in *Apolog. ad Lib. Alberti Pij*, inquit, *Præterea Liturgia cū Cōcione, quam edidi aduersus obtrectatores Virginis, semperque faui Sentētiæ, quæ liberat eā ab omni peccato, etiā originali.* Deinde, *Profiteor mihi magis probari Sententiam illorum, quæ Mariam faciunt immunem ab omni peccato.* Et postea sequitur, *Nec hodie desunt, qui in templis suis publicè docent illam non fuisse immunē à peccato originis, cū ego contrariū sentiā in libris meis.* Ex Io. B. Lezzana vbi sup. *c. 23. Apol. pro Imm. Cōcep. B. Virg.* Io. B. Lez.

Octauū Testimoniū sit eiusdē Rotherodami, qui quasi rationem reddere velit pro Immaculata Virginis Cōceptione, scilicet hoc factum esse, quoniam B. Virgo debebat esse Templū, in quo Aeternū Verbū per assumptionē humanitatis in ipsius Virginis Vtero habitare debebat, inquit. *Tu fœlix illa Plantula de Iessæa Radice subnata, nihil tamen inde genitalium sordium trahens. Tu Sacratissimum Pacifici Regis Templum tam magnificum, vt in eo Rex Olympi præsideret, tam Sacrum, vt nulla vnquam peccati labe potuerit prophanari.* Ex Petro Canisio *tom. 2. lib. 1. cap. 8.* Petr. Can.

Nonū Testimoniū sit Dæmonis, qui, vt refert Pelbartus *Stellar. lib. 4. p. 2. ar. 3.* sic, *In Regno Aragoniæ quidā Fr. Ord. Prædicatorū, quemdā Dæmoniacū adiurauit, vt diceret sibi vnū magnū dubiū, quod mente gerebat, scilicet, si B. V. Maria fuit cōcepta in peccato originali. Tūc Dæmoniacus fortiter exclamās dixit ter, Væ, Væ, Væ, illis, qui Festum Cōceptionis non celebrant, & male de Virgine dicunt. His ille auditis, de cætero celebrauit.* Hęc Pelbartus. Pelbartus.

Deci-

Decimum, & vltimum Testimonium sit eiusdem, vel alterius Dæmonis, de quo Bernardinus de Bustis in *Marial.p.p.serm.7.p.2.l.*K.Sic scribens, *Aliud stupendum accidit hoc anno in Ducatu Ferrariæ; Nam cum ibi esset quidam homo idiota Dæmonium habens, Illustrissimusq; Dominus Ferrariæ Dux ipsum Dæmonium adiuratum, interrogauit de multis quæstionibus, & inter alias de Conceptione B. Virginis, cui Dæmon, mediante lingua illiterati ita eloquenter respondit latino Sermone, vt alter Tullius videretur, & dixit, quod est tenendum ipsam Beatissimam Virginem fuisse à Deo præseruatam, & interrogatus de ratione, allegauit ad literam rationes, quas adducit Scotus ad probandum ipsam Dei Genitricem fuisse præseruatam.* Hæc quæ fideliter narrata sunt Lectorē nō turbent, & pręcipuè ista duo, si dicta mendacissimi, & mendacij Patris, ac Doli cuiuscūq; Artificijs scribimus. Quoniam ipsum coactè veritatem profari (Deo volente) non dubitamus, sic de alijs.

B. Bustis.

Vt ista Chorda sit Suauior, & via facilior, Vatibus tandē cū Decē Hoc Decachordo Psallentibus, quorū Auctoritates Scriptores celebres tanti fecerunt, Serenifs. Cœlorum Imperatrici plaudamus, & huic Opusculo, nostra imbecillitate cōpacto, finē imponamus, ad honorem, & gloriā eiusdem Purissimæ Dei Genitricis, quæ suis fidelibus cecinit, *Ecce enim ex hoc Beatā me dicūt omnes Generationes. Luc.cap.*1.

Lucas.

Decem Psallentes Vates.

Sedulius. PRimus, Cœlius Sedulius, *lib. 2. de Paschal. Miracul. Christi.*

Culpa dedit mortem, Pietas daret inde salutem;
Velut è Spinis mollis Rosa surgit acutis,
Nil quod lædat, habens Matrem obscuret honore,
Sic Euæ de Stirpe sacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.

Arator. Secundus, Arator, *in Actibus Apostolor. lib.p,*

Porta Maria Dei Genitrix intacta creantis
A nato formata suo, mala criminis Euæ

Virgo

Virgo ſecunda fugat, nulla eſt iniuria ſexus,
Reſtituet, quod prima tulit.

Tertius, Adamus de S. Victore, ex Petro Caniſio, *De Maria Deipar. Virgin. lib.* 1. *c.* 7. Et Aegidio de Præſentatione, *De Concept. lib.* 3. *qu.* 4. *art.* 6. *art.* 1. Adamus de S. V. Petr. C. Aeg. Pr.

Salue Verbi ſacra Parens,
Flos de ſpinis ſpina carens,
Flos Spineti gloria.
Nos Spinetum, nos peccati
Spina ſumus cruentati,
Sed tu ſpinæ neſcia.

Quartus, Baptiſta Mantuanus, *libro primo.* B.Mant.

Ante tener Sacra Fœtus, quam viueret aluo
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Indueret maculis, mens ne ſincera niteſcens
Communem ne biberet labem, ne pigra liquore
Pectora letheo fierent, quæ lactea magno
Pabula, & amplexus fuerat latura tonanti,
Semine confuſas ſordes, & virus inuſtum
Diſſecuit, fęlici Animæ mox imbuit artus.

Quintus, Ioannes Gerſon in *Ioſephina, lib.* 7. Io.Gerſ.

Virginis inſtantem conceptum ſignificare,
Et potui, & volui redimens perfectiùs ipſam,
Præueniens Caſum, quam ſit releuare iacentem.
Tota fuit pulcra, nulli vnquam obnoxia culpæ.
Abſit, vt attritus ab ea Serpens, caput eius
Antea contriuerit peccati ſub pede fœdo,
Abſit, vt hoc fuerit iam membrum Dæmonis vnquam,
Gratia ſupplet Iuſtitiam, quam perdidit Adam.

Sextus, Hieronymus Vida, *Hymn. Mag. Mar. Virgin.* Hier.Vi.

Sola malo exorta es, veteriq; imperuia noxæ
Seu tu te Genitrix intactam, & prorſus auitam
Secretam maculæ grauida concepit in aluo,

Seu simul atque vtero concreta es Cœlicolum Rex
Communem exemit labem, puramq; reliquit.

Iudoc. B. Septimus, Iudocus Badius Ascensius, *lib. Salutif. Nauis.*

Sed ventura mea Virgo est, haud conscia culpæ
Contritura tuum, perfida vipra caput.
Quæ, quia supremo Gnatum est paritura tonanti,
Commoda Iustitiæ vincet originea.
Nam neque peccato quondam maculabitur vllo,
Nec deerit quauis gratia Verbiferæ.
Currite festiuo fœlicia sæcula cursu,
Vt nouus in terris concipiatur Adam.

Alan.Inf. Octauus, Alanus Insulensis in *Anticlaudian. lib. 5. cap. 9.*

Hæc est Stella Maris, Via Vitę, Porta salutis,
Regula Iustitiæ, Limes Pietatis, Origo
Virtutis, Veniæ Mater, Thalamusq; pudoris,
Hortus conclusus, Fons consignatus, Oliua
Fructificans, Cedrus redolens, Paradisus amenus,
Virgula pigmenti, Vinaria Cella, liquore
Prædita diuino, Nectar Cęleste propinans,
Nescia Spineti florens Rosa, nescia culpæ
Gratia, Fons expers limi, Lux nubila pellens,
Spes miseris, Medicina Reis, Tutela Beatis,
Proscriptis Reditus, Erranti Semita, Cęcis
Lumen, Deiectis Requies, Pausatio Fessis,
Hæc est, quę primos casus, primæque Parentis
Absterſit maculas, Vincens virtute reatum,
Diruta Restituens, Reddens ablata, Rependens
Perdita, Restaurans amissa, fugata Repensans,
Post vespertinos gemitus noua gaudia Donans,
Post mortis tenebras vitæ nouitate Relucens,
Cuius ad Aduentum redit ætas aurea Mundo;
Post facinus Pietas, post culpam Gratia, Virtus

Post

Post vitium, Pax post odium, post triste Iocosum,
Vt Rosa Spineti compensat Flore rigorem,
Vt dulcore suo fructum radicis amarę,
Ramus adoptiuus redimit, sic Crimina Matris
Ista luit........................
Vt sic Munda ream, corruptam Virgo, Pudica
Effrontem, miseram Fœlix, Humilisq; superbam,
Abluat, ac Vitę pariat sua Filia Matrem:

Nonus, Bonauentura Stabilis, *Viridarium Seraphicum*, Bonau.St.
Ode 24. canit.

Omnes quisque suam patimur, vulnusque viritim,
Natalem labem, quę Animas sceleratque, nigratque,
Impiat, atque trahit secum dispendia Mortis.
Primigenę Matris suasum non horruit ille
Audenter primęuus homo, scire omnia tentans,
Quo cum Rex superum fœdus genitore feriuit.
Nimirum vetitum raperet si ex arbore pomum
Ille, hominumque genus totum sub limine vitę
Noxalis traheret contagia putida labis.
Illum nec puduit legem discindere, & vltrò
Prolabi in sua damna; Deumque lacessere Patrem.
Ceu terrę humorem trahit à radicibus Arbos,
Vitamque exugit, vitiato è semine culpa,
Pullulat haud aliter soboles bacchata per omnes,
Inserpit transfusa lues, nullique pepercit
Exorbans Animas, tenebrisque obuelat opacis.
Eximitur Virgo tantummodo Mater Iesu,
Quę prauenta fuit comprimìs munere, in ipso
Temporis instanti, haud communi obnoxia legi
Conceptum ante ipsum; Quinimmò dicere fas sit
Illam iustifico ditatam munere gratis.
Hoc potuit, fecitque Deus, qui talia sanxit
Iura potens, potuitque suas obrumpere leges
Absque sui motu, cui nec successio inhæret.

 Verbi-

Verbiparam decet exemisse à lege parentum,
Pro qua præcipuè emisit cum sanguine vitam.

Ant. Ca. Decimus, & vltimus sit Antonius Canut, *Mister. Mar. p. lib. 4. Embl. 2.*

Arserit humanum genus, & propulantia latè
Per totam rabidis ierint incendia gentem
Ignibus. Hos inter, Virgo inuiolabilis, æstus
Gentis ab interitu Vitam, ex caligine Lucem,
E flammis Iubar, è communi labe Nitorem,
E probo Decus, è fatali clade Triumphum
Duxit, & antiqua Rubus incombustus Eremo.

Petrus C. Vinc.Bel. Io. de M. Franc. M. Tandem (cum hi nostri humillimi labores impares sint ad laudes, & Encomia Virginis Immaculatæ Deiparæ conscribenda,) cum Petro Comestore de *Laudib. B.Mariæ*, Ex Vincentio Beluacensi *Specul.Histor: lib. 29. cap. 1.* Ioanne de Meppis, & Francisco Martini, vbi supra, pusillitatem nostram ostendimus.

Si fieri posset, quod Arena, Puluis, & Vnda,
Vndarum gutta, Rosa, Gemmæ, Lilia, Flammæ,
Aethera, Cælicolæ, Nix, Grando, Sexus vterque,
Ventorum Pennæ, Volucrum, Pecudum genus omne,
Siluarum Rami, Frondes, Auium quoque Pennæ,
Gramina, Ros, Stellæ, Pisces, Angues, & Arista,
Et Lapides, Montes, Conualles, Terra, Dracones,
Lingua cuncta forent, minimè depromere possent,
Quæ sis, vel possis, Virgo Regina Maria,
Quæ tua sit Pietas, nec littera, nec dabit ætas.

FINIS.

ANAGRAMMATA NVMERICA BIS DECEM

ALBANI PROTASII VESTANI,

Ad Summos, Maximosq; Pontifices Decem; qui sunt.

ALEXANDER V.

eX InsVLa Cretae VenIt, qVI VIrgInIs In InstantI Vere In gratIa Cretae pronVnCIabIt MCCCCVIIII. pVrItateM.

---

petrVs phILargVs CretensIs papatV aLeXan-
89. 101. 102. 67. 74.

Der, a qVo VIrgInIs sanCtae sIne protopa-
48. 98. 57. 43. 166.

rentIs Labe Integre ConCeptae InnoCentIa
18. 72. 74. 94.

ChrIstIano orbI enVnCIata fertVr.
106. 40. 80. 80.

MCCCCVIIII. 1409.

SIXTVS

SIXTVS IV.

saVona VenIt, qVI pVrae VIrgInIs In ConCeptIonIs InstantI IntegrItateM breVe pontIfICIo, saCrIs, festIVIsqVe MCCCCLXXI. foVebIt obseqVIIs.

---

franCIsCVs rVVereVs saVonensIs papatV
103. 116. 122. 67.
sIXtVs, a qVo, Vt praeeLeCta ChrIstI
100. 48. 37. 78. 80.
genItrIX, eX natI aVXILIo, sIne Labe
96. 25. 40. 81. 43. 18.
ConCepta, In eCCLesIa CoLatVr, saCra
69. 21. 53. 80. 38.
offICIa eXhIbentVr.
MCCCCLXXVI. 47. 114. 1476.

ALEXANDER VI.

eX hIberIa VenIt, qVI regnI CoeLestIs heroInae, In sVa pVra ConCeptIone InnoCentIaM MCCCCLXXXXII. roborabIt.

CA-

roDerICVs borgIa VaLentInVs papatV
102. 48. 122. 67.
aLeXanDer, a qVo pIa VIrgo aeternI
74. 48. 24. 64. 66.
gnatI Vera pVerpera, IVVante gratIa, sIne
47. 41. 90. 83. 52. 43.
orIgInIs heVae noXa genIta, LIterIs
92. 38. 46. 52. 84.
foVetVr apostoLICIs.
MDIII. 96. 124. 1503.

IVLIVS II.

eX LIgVrIa VenIt, qVI pIIs VotIs, IesV ChrIstI parentIs In ConCeptIonIs InstantI sanCtItateM
MDIII. approbabIt.

IVLIanVs rVVereVs saVonensIs papatV
96. 116. 122. 67.
IVLIVs, a qVo praeCLarIs VIrgInIbVs
83. 48. 92. 119.
regIae DeIparae sIne peCCatI Labe genItae
43. 55. 43. 53. 18. 57.
VoVentIbVs breVI pontIfICIo faVor
133. 51. 106. 55.
eCCLesIae LargItVr.
MDXI. 58. 96. 1511.

PIVS

PIVS V.

eX InsVbrIa VenIt, qVI CLara
pIetate nItens, VIrgInIs egregIae,
pVre sIne LVe Creatae
InnoCentIaM saCrIs
MDLXVI. serVabIt honorIbVs.

MIChaeL ghIsLerIVs InsVber papatV pIVs,
47. 117. 80. 67. 59.
a qVo In obseqVIa Integrae ChrIstI
48. 21. 81. 73. 80.
parentIs, In generatIonIs Instante, faVente
92. 21. 124. 92. 66.
gratIa, sIne orIgIneo naeVo genItae, saCra
52. 43. 84. 50. 57. 38.
offICIa assIgnantVr.
MDLXVIII. 47. 129. 1568.

PAVLVS V.

senIs VenIt, qVI VIrgInIs IesV
MatrIs In sVa ConCeptIone
InnoCentIae apostoLICa robVr
aVCtorItate trIbVet.
MDCV.

CAMIL-

CaMILLVs bVrghesIVs senensIs papatV
80. 119. 94. 67.

paVLVs, a qVo eXCeLsae VIrgInIs eX
80. 48. 66. 98. 25.

praeserVante natI gratIa IngenVae, absqVe
129. 40. 52. 70. 59.

VeterI parentIs IVgo, Vera CreatIo, pIIs
72. 92. 48. 41. 65. 49.

honorIbVs sentItVr.
MDCXVII. 109. 114. 1617.

GREGORIVS XV.

bononIa VenIt, qVI InCreatI VerbI genItrICIs, absqVe orIgInIs CVLpa ConCeptae bonItateM qVIbVsVIs gentIbVs eXponet.
MDCXXI.

---

aLeXanDer LVDoVIsIVs bononIensIs papatV
74. 136. 121. 67.

gregorIVs, a qVo pIae VIrgInIs, IVre, eX
109. 48. 29. 98. 49. 25.

VnIgenItI fILII gratIa, absqVe antIqVa
100. 43. 52. 59. 75.

patrIs noXa, pVra ConCeptIo, breVI
75. 46. 50. 90. 51.

apostoLICo roboratVr.
MDCXXII. 111. 114. 1622.

VRBANVS VIII.

FLORENTIA VENIT, QVI EX VIRGINIS, MATRISQVE INTACTAE CONCEPTIONE PVRITATIS, LAETITIAEQVE VIRENTES FLORES POPVLO IVBILANTI PRAEBEBIT.

MDCXXIII.

MAPHAEVS BARBERINVS FLORENTINVS PAPATV
76. 99. 137. 67.
VRBANVS, QVO PVRAE VIRGINIS, REGALI
86. 47. 55. 98. 48.
PROGENIE GENITAE, SINE LABE PARENTIS
81. 57. 43. 18. 92.
CONCEPTIO, ORNATIS IN VRBE VIIS, PIAE
90. 86. 21. 42. 54. 29.
GENTIS FESTIVA LAETITIA, CELEBRATVR.
68. 75. 71. 95.
MDCXXXV. 1635.

ALEXANDER VII.

EX VIRGINIS CIVITATE VENIT; QVI VIRGINEAE CONCEPTIONIS PVRITATEM ECCLESIAE STABILIET.

MDCLV.

FA-

FABIVS CHISIVS SENENSIS PAPATV ALEXANDER,
54. 82. 94. 67. 74.
A QVO PRAECELSA VIRGO, VNA COELI REGINA,
48. 72. 64. 32. 40. 50.
EX SVPERNA SVI FILII VIRTVTE, EGREGIE
25. 84. 45. 43. 104. 54.
ABSQVE PECCATI ORIGINALIS LABE CONCEPTA;
59. 53. 103. 18. 69.
TOTIVS ORBIS IVBILO, APPROBATVR.
MDCLXI. 94. 57. 62. 114. 1661.

CLEMENS IX.

EX ETRVRIA VENIT, QVI SACRATAE VIRGINIS IN CREATIONIS INSTANTI SANCTITATEM FESTIVIS ECCLESIAE HONORIBVS EVVLGABIT.

MDCLXVII.

IVLIVS ROSPILIOSVS PISTORIENSIS PAPATV
83. 154. 156. 67.
CLEMENS, A QVO SVPERNI REGIS GENITRIX
63. 48. 92. 54. 96.
VIRGO, EX INFINITA SVI GNATI POTENTIA;
64. 25. 76. 45. 47. 90.
ABSQVE HEVAE LABIS NAEVO CREATA, SACRIS
59. 38. 39. 50. 44. 63.
EXALTATVR OBSEQVIIS.
MDCLXVII. 108. 106. 1667.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.

INDEX

OMNIVM AVCTORVM.

A

ADamantius Origenes. Parisijs.1519.
Adamus Opatouius. Cracou.1617.
Adamus Sasbout. Antuerpię.1565.
Adamus de S. Victore.*
Aegidius de Presentat. Conimbricæ.1617.
Alanus Insolensis. Antuerpiæ.1654.
Albertus Magnus. Anglenau.1504.
Albinus Alcuinus. Parisijs.1617.
Alexander Alensis Venetijs.1575.
Aloysius Albritius. Venetijs.1652.
Aloysius Lippomanus. Parisijs.1546.
Aloysius Nouarinus. Venetijs.1622.
Alphonsus de Orozco. Brugis.1581.
Alphonsus Tostatus. Venetijs.1596.
Amadeus Lusitanus Matriti.1648.
Ambrosius Mediolanensis. Parisijs.1539.
Ambrosius Catharinus. Romæ.1551.
Amphilochius Iconij. Coloniæ.1618.
Anastasius Synaita. Coloniæ.1618.
Andreas Apostolus.*
Andreas Cretensis. Parisijs.1624.
Andreas Vega. Coloniæ.1572.
Angelus del Pas. Romæ.1590.
Angelus Rocca. Romæ.1596.
Angelus Vulpes. Neapoli.1646.
Anselmus Cantuariensis. Venetijs.1547.
Antipater Bostrensis. Matriti.1648.
Antoninus Florentinus. Venetijs.1571.
Antonius Ganut. Tolosæ.1650.
Antonius Patauinus. Lugduni.1653.
Arator. Coloniæ.1618.
Archidianus. Lugduni.1531.
Aristoteles Venetijs.1574.
Arnobius. Coloniæ.1618.
Arnoldus Carnotensis. Coloniæ.1618.
Athanasius Alexādrinus. Venetijs 1627.
Auctor Sequentiarum. Basileæ.1497.
Augustinus de Angelis. Puteolis.1661.
Augustinus Hipponensis. Parisijs.1651.

B

Baptista Mantuanus. Antuerpiæ.1596.
Bartholomæus Apostolus.*
Bartholomæus Pisanus. Venetis.1595.
Basilius Magnus. Parisijs.1618.
Beda. Basileæ.1563.
Benedictus Arias. Antuerpiæ 1571.
Bernardinus Busti. Lugduni.1521.
Bernardinus Gugnonus.*
Bernardinus Senensis. Lugduni.1650.
Bernardus Abbas. Parisijs.1623.
Birgitta. Romæ.1606.
Boetius Seuerinus. Basileæ.1570.
Bonauentura Fidanza. Romæ.1596.
Bonauentura Stabilis. Panormi.1648.
Bruno Abbas. Coloniæ.1611.
Bruno Herbipolensis. Coloniæ.1618.

C

Cæsar Baronius. Romæ.1630.
Chrisippus Hierosolimit. Parisis.1586.
Chriftoph. Auendagno. Venetis.1629.
Christoph. Siluestranus. Venetijs.1591.
Claudius Saissellus. Taurini.1518.
Concilium Auenionense.*
Concilium Basileense. Coloniæ 1618.
Concilium Cantuariense.*
Concilium Cæsaraugustanum.*
Concil. Constantinop.3. Coloniæ.1618.
Concil. Francfordiense. Venetijs.1624.
Concilium Hierosolimitanum.*
Concilium Nicenum.2. Coloniæ.1618.
Concilii Tridentinum. Coloniæ.1618.
Consaluus Durantes. Romæ.1606.
Cornelius à Lapide. Parisijs.1635.
Cornelius Mussus. Venetijs.1586.
Cyprianus Martyr. Antuerpiæ.1589.
Cyrillus Alexandrinus. Basileæ.1546.

Decreta

D

Decreta Gratiani. Venetijs.1591.
Decretales Bonifacij Pp. Parisijs.1620.
Decretales Gregorij Pp. Parisijs.1407.
Didacus Stella. Antuerpiæ.1600.
Didacus Vega. Venetijs.1611.
Digesta. Venetijs.1574.
Dionysius Alexādrinus.Coloniç.1618.
Dionysius Areopagita. Parisijs.1615.
Dionysius Carthusianus.Venetijs.1584.
Dominicus S. *.
Dominicus Bolanus. Venetijs.1490.
Dominicus Gymnasius. Romæ.1658.

E

Ephrem Syrus. Romæ.1598.
Epiphanius Ciprius. Parisijs.1622.
Eusebius Emissenus. Coloniç.1618.
Euthimius Zigabçnus. Venetij.1568.

F

Federicus Spondanus. Lutetiæ.1651.
Ferdinandus Peralta. Murtiæ.1607.
Ferdinandus Salazar. Parisijs.1625.
Flauius Dexter. Lugduni.1627.
Flauius Ioseph. Francfurti.1580.
Fortunatus Scaccus. Romæ.1636.
Franciscus Biuarius. Lugduni.1627.
Franciscus Canophilus.Venetiis. 1551.
Franciscus Labata. Lugduni.1614.
Franciscus Maironus: Venetiis.1517.
Franciscus Martini. Louanii.1663.
Franciscus Suarez. Lugduni.1614.
Franciscus Toletus. Romæ 1600.
Franciscus Visdominus. Venetiis.1576.
Franciscus Zumel. Salamanticæ.1585.
Fridericus Nausea. Viennæ.1537.
Fulbertus Carnotensis. Coloniæ.1618.
Fulgentius Ruspensis. Coloniæ.1618

G

Gabriel Biel. Lugduni.1522.
Georgius Nicomediensis.Parisiis.1648.
Gerardus Bossius. Parisijs.1622.
Germanus Constantinop. Parisiis.1641.
Glossa Ordinaria. Venetijs.1588.
Gotscus Holenus. *
Gregorius Magnus. Parisiis.1571.
Gregorius Nazianzenus. Parisijs.1583.
Gregorius Thaumaturgus. Parisiis.1622.
Gregorius de Valentia. Lugduni.1603.
Gulielmus Hoccam. Lugduni.1495.
Gulielmus Pepinus. Parisiis.1536.
Gulielmus Rubionus. Parisiis.1517.
Gulielmus Vorilongus. Basileæ.1510.
Gundisaluus Lutzerus. *

H

Hector Pintus. Parisiis.1591.
Henricus Hencelgrauius Coloniç.1659.
Henricus de Gandauo. Parisiis.1518.
Henricus de Hassia. Louanii.1667.
Henricus Helmesius. Lugduni.1574.
Hesichius Hierosolimit. Parisiis.1589.
Hieronymus S. Parisiis.1575.
Hieronymus Mautinus. Romæ.1632.
Hieronymus Vida. Antuerpiæ.1588.
Hilarius Pictauiensis. Parisiis.1542.
Hippolytus Marraccius. Romæ.1661.
Historia Lombardica.Argentinæ. 1490.
Hugo de Sancto Caro. Coloniæ.1621.
Hugo Siphilinus. Panormi.1635.
Hugo de S. Victore. Maguntiæ.1617.

I

Iacobus Maior Apostolus. *
Iacobus Minor Apost. Coloniæ.1618.
Iacobus Aluarez. Lugduni.1554.
Iacobus Scopperus. Coloniæ.1570.
Iacobus de Valentia. Lugduni.1554.
Iacobus de Voragine. Venetiis.1573.
Idiota Contemplatiuus. Parisiis.1624.
Ignatius Martyr. Parisiis.1589.
Innocentius Pp.3. Venetijs.1578.
Ioachinus Perionius. Coloniæ.1555.
Ioannes de Agacijs. *
Ioannes Bacconus. Venetijs.1526.
Ioannes Bassolius. Parisijs.1517.
Ioannes Belethus. Venetijs.1561.
Ioannes à Carthagena. Romæ.1611.
Ioannes Chrisostomus. Parisijs.1636.

Ioan-

Petrus Lombardus. Louanii.1557.
Petrus Montius. Mediolani. 1509.
Petrus de Natalibus. Venetiis.1509.
Petrus Oyeda. Hispali.1616.
Petrus Paludanus. Venetiis.1575.
Petrus Posnaniensis. Venetiis.1629.
Petrus Rodulphus. Venetiis.1584.
Petrus Tataretus. Venetiis.1583.
Philippus Apostolus. *
Philippus Diez. Venetiis.1589.
Philippus Faber. Venetiis.1613.
Philippus Gammachæus. Parisiis.1627.
Pierius Valerianus. Lugdun.1579.
Plinius. Venetiis.1571.
Proclus Constantinopol. Coloniæ.1615.

R

Rabbi Haccados. *
Riccardus de S. Victore. Venetiis.1592.
Robertus Belarminus. Venetiis.1602.
Robertus Caracciolus. Venetiis.1450.
Rupertus Abbas. Venetiis.1540.

S

Sabbas Collector. *
Scipio Agnellus. Venetiis.1637.
Seraphinus Leggius. Venetiis.1644.
Septimius Tertullianus. Romæ.1584.
Seuerinus Binius. Coloniæ.1618.
Sophronius Hierosolimit. Parisiis.1610.
Stanislaus Hossius. Parisiis.1561.
Stephanus Barradas. Maguntiæ.1599.

T

Theodorus Balsamon. Parisiis.1620.
Theodorus Studita. Parisiis.1586.
Theodorus Syngelus. *
Theodotus Anciranus. Coloniæ. 1618.
Theophanes Nicænus. Romæ.15
Thesaurus Linguę Latinę. Parisiis.1553.
Thomas Apostolus. *
Thomas Angelicus. Venetiis.1586.
Thomas ab Argentina. Ianuæ.1585.
Thomas Galiardus. Messanę.1650.
Thomas de Villanoua. Brixiæ.1613.
Thomas de Vio Caietanus. Lugd.1639.
Timotheus Hierosolimit. Parisiis.1610.

V

Vincentius Beluacensis. Coloniæ. 1454.
Vincentius Ferrerius. Antuerpiæ.1570.
Vigilius Tridentinus. Parisiis.1664.

Z

Zacharias Bouerius. Lugduni.1639.

Quos hoc signo * inueneris adnotatos, ab alijs Auctoribus relatos scias.

Omnia humillimè præuolutus puluis, & cinis subijcio Pedibus S. Romanæ Ecclesiæ

F I N I S.

Deo gratias, B. M. Virg. SS. Ios. Ann. Ioach. Franc. & omnium Angelorum, Sanctorum, Sanctarumq; Cœtibus.

ERRATA CORRECTA.

P. V.
1. 7.*alteram*, l. *alterum*
7. 6.ammittunt, l. amittunt.
10.22.*telus*, l. *tellus*
14. 8.*ipso*, l. *ipse* (tias
26.*Inimiditias*, l. *Inimici-*
17. 1.subiecto, l. subiectio
14.Draconus, l. Draconis
18. 9.*subiacuisse*,l.*subiacuisset*
20.21.*exaderet*, l. *euaderet*
21. 9.Tabulę, l. Tabulas
11.illa, l. illam
26. 2.permaneus,l.permanens
28.18.*salutis*, l.*salutem*
33. 9.Orientem,add.Maria respiciebat Orientem,
35.23.Regis, add. ante
39.17.*narras*, l. *narrasse* (ciasse
28.pręnunciassem,l.pręnun-
44.30.prępurauit,l.pręparauit
48.28.*Eecit*, l. *Fecit*
50.15.Veritatem, l. Virtutem
53.17.pręeminens,l.pręeminet
54. 7.*tecum er*, l. *tecum ero*
flumimina, l. *flumina*
55.29.Mundo, l. Mundi
56,21.Luxurie, l. Luxuriæ
59. 13.repuit, l. respuit
62. 16.petitus, l. potitus
69. 1.sic, l. si
79. 6.*Auctorem*, l. *Auctores*
74. 32.*prauita*,l.*prauisa*
78. 17.*subiesta*, l. *subiecta*
86. 4.inclinauit, l. inclinaret
90. 16.mendacis, l. mendacij
101.33.*fui*, l.*fuit*
114. 5.restante,l.testante (latę
17.Immaculatā,l.Immacu-
122. 9.obūbrabit, l.obūbrauit
123.11.durum, l. dirum
126.22.de, l. ad (ter
134.17.naturalitatē,l.naturali-
151. 5.*Statua*, l. *Statura*
153.15.inutilis, l. inutiles
158.14.*Omues*, l. *Omnes*
159. 1.Filius, l. Filijs
162.24.habet, l. habuit:
171.33.Confirma, l. Confirmat
175.21.officere, l. efficere
31.*leberata*, l. *liberata*
181.33.maximum, l.maximam
183.21.*mane*, l. *n a*[illegible]
27.gladio, l. gladius (ret
184. 4.deprimere, l. deprime-